tatis
tatis
one
s in
uo:
a
cu
e
pe
ter
die:
u
in
eius
um

Et dixit eis. Quid turbati estis
et cogitationes ascendunt in cor-
da vestra? Videte manus meas et pe-
des meos: quia ego ipse sum. Palpa-
te et videte: quia spiritus carnem et os-
sa non habet, sicut me videtis habere. Et
cum hoc dixisset: ostendit eis ma-
nus et pedes. Adhuc autem illis
non credentibus et mirantibus
prae gaudio dixit: Habetis hic
aliquid quod manducetur? At illi
obtulerunt ei partem piscis assi
et favum mellis. Et cum manduca-
sset coram eis, sumens reliquias
dedit eis et dixit

DE DESPERATA CALVINI CAVSA, TRACTATVS breuis,

Lectu non minùs vtilis, atque iucundus:

in quo

SECTÆ CALVINISTICÆ
Non tam picta effigies, quam viuum corpus, cuiuis spectandum ad oculum exhibetur;

adornatus

In gratiam EVANGELICORVM Protestantium:

AVTHORE
Petro Cudsemio Cliuovvesaliensi.

Saluator ad Petrum Apost.

Luc. 22.

Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.

MOGVNTIÆ, Ex Officina Ioannis Albini, Anno 1609.

Paulus ad Timoth.

1. Tim. 1.

Qui prius blaſphe-
mus fui, & perſecu-
tor, & contumelio-
ſus: ſed miſericordi-
am Dei conſecutus
ſum, quia ignorans
feci in incredulitate.

REVE-

REVEREN-
DISSIMO, ET ILLV-
STRISSIMO DOMINO, ET
in Christo Patri, Domino ATILIO A-
MALTHEO, Archiepiscopo Athe-
niensi, & S. Apostolicæ Sedis per
Germaniam inferiorem
NVNCIO, &c.

S. P.

humillimus & obedientissimus seruus,

Petus à Cudsem.

SI ex pennis auiculam, ex cauda vulpem, & ex vngue leonē; certè ex infallibili Angelicæ naturæ signo satis animaduerti, Reuerendissime, & Illustrissime Præsul, quantum tibi cum Christo, & cœlestibus mentibus, communionis & commercii intercedat. Christus Αρχιποιμὴν *Pastor adeò bonus est, vt animam ponat pro o-* Ioh. 10.

 uibus,

uibus, & nonaginta nouem relictis, centesimam eat quæsitum, inuentam, humeris suis imponat, domumque reportet. Angeli Dei verò ita erga Christi oues affecti sunt,
Luc. 15. *vt gaudium sit coram ipsis super vno peccatore pœnitentiam agente. Similis quædam apparet imago, Reuerendissime Antistes, in præstantissimâ virtutum tuarum ἐγκυκλοπαιδεία Etenim vt illarum centesimã solum, quasi nonaginta nouem relictis, perlustrem, quâ nempe pro commisso grege, noctes diesque, etiam cum vitæ, fortunæque, discrimine, instar boni Pastoris, in finibus circumgrassantium luporum, vigilas, video te ouium non solùm partarum, ne quid periculi capiant, satagere, sed etiam ab Ecclesiæ peculio errantium curam gerere; deq; iis ouili restitutis summoperè cum Angelis in cœlis exultare. Miser ego à matris ventre in eremo educatus, locisq; desertis cum lupis oberrans, nihil vidi, nihil audiui, præter syluestrem & horridam quandam immanitatem, & mendaciorum vlulatum: Fœlix ego, quam primùm paululùm excessi syluis, & in veritatis planitie caulam ouium aspexi, inque eâ vocem Christi audiui, noluì*

lui mihi amplius esse cum feris lupis, sed in posterum cum mansuetis ouibus domiciliũ. Pastor me primo accessu, tanquam lupinum fœtum non modo repudiare, sed & vnico ictu ferire, & trucidare poterat: verùm ambabus me vlnis excipit, & à lupis distinguens, S. Confirmationis charactere signat, reliquisque ouibus agnellum aggregat: Nec tantum suorum fidelium gregi associat, sed etiam paulò post magni Pastoris Reuerendissimi & Illustriss. Cardinalis Bellarmini, patrocinio munit, qui non sine cõmendatitiis literis, liberali viatico, paterno osculo, & amplexu, me Romæ à se demitmit: Et vt summam dicam, supremi sui in terris Vicarii curæ committit, qui deinceps me Tibi, Reuerendissime Præsul, fidelissime gregis Dominici custos, tanquam in patriis pratis, & campis pascendum commendauit. Quo nuncio accepto non solum incredibili perfunderis delibutus gaudio, verùm etiã mihi incognito, absenti, & adhuc lõgè à patria remoto, aperis liberalitatis tuæ Thesaurũ, & viscera paterni affectus, non secus ac Pater Euangelicus, qui in dissolutæ vitæ filii, ad patrios lares cõuersi, occursum

abit, illique nudo ſtolam, & calceamenta deferri mandat, ac honeſtam deinceps ſecũ manſionem domi commonſtrat. Qua de re gratitudinis loco, etſi domi necdum ſum, ſed in proximo eius quaſi limine hæreſcam, ex confecto biennalis peregrinationis curſu nonnihil defatigatus, vireſque recolligens, libris, & omnibus ad ſtudia idoneis inſtrumentis adhuc deſtitutus, ne nihil agerem, cæpi aliquem meditari tractatum, quo ſaltem aliis patefacerem, me lupinâ naturâ exutâ, ouinam induiſſe: domoque Hæreticum peregrè exiuiſſe, Catholicum verò domum rediiſſe. Ouis enim pecus eſt non modò imbellis, manſueta, patiens, &c. ſed inprimis frugifera, ſuumq́ ſemper paſtorem & benefactorem ſuis locupletat beatque bonis: lacte, lanâ, pelle, carnibus. Et certè ſi etiam illius ſtercora, fimuſque vſum ſuum habet, magnamque terræ effœtæ, aridæ, & ſterili vtilitatem affert, ſcio quo loco habere debeam hanc meam abortiuam operã. Quæ ſi cui Paſtorum commendanda eſt, ne luporum morſibus prorſus dilaceretur, & dente Theonino rodatur, certè Tibi, Reuerendiſſime, & Illuſtriſſime ATILI, multorum

torum pastorum præsidi, & ornamento; Tibi, inquam, quem Sanctissimus D.N. Papa PAVLVS V. suâ commendatione ipse mihi Patronum designauit, mei laboris fruges, frugumque in Catholico ouili primitias, vt iure debeo, sic merito soluo, offero, consecro: humillimè maiorē in modum T. Illustriss. Reu. rogans, vt cæptis clementer faueat, authoremque suo patrocinio benigniter foueat, & tueatur. Etsi quidem libellus hic meus serenissimi vestri nominis splendore, cui potius tenebras offundit, quam lucem, indignus est, tamen illius radiis nonnihil illustratus, dignus fieri potest, qui multis, in tenebris & vmbrâ mortis, ad perpetuam sui perniciem, desidentibus, lucem Catholicæ veritatis, cælestemque vitam, ad æternam animarum suarum salutem, afferat. Sol radiis suis illustrat vniuersum terrarum orbem, sed non nisi mediante aëre: Sic Christus sol iustitiæ, & lux cælestis, verbi sui radiis omnem illuminat hominem, sed non nisi externo S. Ecclesiæ ministerio, cuius fulgore omnis errorum nebula dispellitur. Ego, vt opinor, centum etiam annis domi, hoc est, in Caluinismi pomariis, legē-

do & perlegendo, omne genus libros, doctior fortaſſis, ſed melior, magisque pius inde non euaſiſſem, niſi foris Eccleſiæ lucem aſpexiſſem, cum quâ collata Caluiniana Synagoga mihi tenebroſa AEgyptus eſſe apparuit. Et hoc eſt quod detinet ſectæ illius etiam Academicos Doctores, viros aliquot eruditione, & omni ſcientiarum genere quaſi abſolutos, in ſuæ hæreſis caligine, in qua nati, & educati, nullum aliûs religionis cultum, exercitiumque, vnquam viderunt. Sed de bonis tamen ſemper bene ſperandum eſt; ac quia Illuſtriſſ. V. R. magnoperè afficitur Eccleſiæ curâ, eiusque ſalute, & incolumitate maximè delectatur, volui in libelli mei calce, de Decremento ſectæ Caluiniſticæ, quantum de illo coniicere licuit, aliquid adiicere. Qui enim benè cõiiciet, Conſul Romanus, Cicero, lib. de diuinat. vatem perhibet optimum. Impleat ſpẽ, & vota noſtra Dominus, quem ad dextram patris ſedentem regnare oportet, donec ponat inimicos ſcabellum pedum ſuorum: illi ſit maieſtas, potentia, robur, & gloria, in omnem æternitatem, Amen.

NE videar eandem recoquere crãbem, & bis coctam Lectori nouitatis auido, tanquam famelico conuiuæ, in tam exiguo paucorum foliorum, ceu ferculorum, apparatu, ad nauſeam proponere, cauſas, quas hactenus, pluribus aliquot ab hinc annis, viri non modò ſapientes & erudi-ti, ſed etiam natalitio gentis ſuæ ſplẽdore nobiles, illuſtres, imò illuſtriſſimi duces & principes, cum in Germania, tum in Gallia, ſaluificæ ſuæ ab huius tempeſtatis hæreſibus, ad vnam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicã Chriſti Eccleſiam, conuerſionis, graues & iuſtas in publicum ediderunt, huc reuocare, vel nouis coloribus illuſtrare omitto. Cum enim in lucem edita tot principum virorum, quibus ego, vt vel aquam miniſtrem, dignus non ſum, documenta, tot præclara rerum teſtimonia, tot pietatis argumenta, tot ſalubria conſilia, & admonitiones, ſuæque conuerſionis tot Apologetica ſcripta tam exiguam vim, & pondus hactenus obtinuerunt, laterẽ

lauaret, quisquis iisdem pugnaturus armis, & argumentis, peruicaciam illam fastuosorum hominum, & duriciem cordis contundere, vel emollire saltem conaretur. Et quanquam repetitæ eiusmodi rationes, atque antitheses, quibus Ecclesia, & Hæresis, tanquam contraria iuxta se posita magis illucescunt, paucos aliquot moraliter probos, & bonos, quorum vnus in biuio hæsitet, alter erroris viam perambulet, in veritatis, & salutis semitam fortè reuocare possent; tamen vt simul & semel vniuersis, ac singulis vanitas, & futilitas CALVINIANÆ HÆRESEOS, ac DESPERATA CAVSA clarè innotescat, operæ pretium me facturum putaui, si pestilentis istius sectæ animam, & corpus: caput, & caudam ad viuum depingerem, & suismet coloribus illuminarē. Ante omnia verò protestor, mihi in hoc breui instituto propositum non esse personalia vitia, & enormia quorundam Prædicantium delicta, atque maleficia velle detegere, iisque amarulen-

rulentè obiicere: sed ea tantum in timore Dei attingere, ad publicam Ecclesiæ vtilitatem, & exoptatam errantium salutem, quæ circa CALVINISMI doctrinam, & praxin, puer à tenerâ meâ infantiâ ad virilem huc vsque ætatem didici, vidi, audiui: inque his promitto me neque veritatis modum, neq; honestatis, & verecundiæ fines excessurum. *Omnis Apostata*, trito sermone factum est prouerbium, *osor est sui ordinis*, atque gentis. Id si ita est, vt experientiâ, rerumque vsu compertum est, atrocem, & manifestam mihi infert iniuriam, quisquis illo me nomine suggillat, quod nullũ in me sentiam neque odii, neque inimicitiarum in nationem meam, ita miserè seductam, & prioris fidei consortes, affectum; sed contrà potius meis quotidie precibus, meis inquam suspiriis, & sæpiusculè lachrymis, ipsorum salutem diuinæ misericordiæ commendo, eamque supellex ardentibus votis oro, vt pœnam benè meritam à Germania nostrâ, ac inprimis

meâ

meâ patriâ CLIVENSI, & IVLIACENSI, quæ quadraginta circiter annis, alieno bello, rapinis, pagorum exuſtione, aquarum inundationibus, peſte, fame, omniumq; Dei pœnarum flagellis afflicta fuit; tandem etiam natiuo ſuo principe, patre patriæ, orbatur, clementer auertat, & nos ſanctæ ſuæ Apoſtolicæ Eccleſiæ reſtituat, nobis verò priſtina aureæ pacis tempora. Quapropter omnes appello pacis, & veritatis amantes, eosque obnixe precor, vt hæc eo animo, quo à me proficiſcuntur, excipiant, & in meliorem partem dicta, ſcriptaque, interpretentur, ſi temerè, & inconſultò à S. Auguſtino enarrat. in pſal. 36. prolatum non exiſtiment, admonente: *Tantò magis debemus commemorare vanitatem hæreticorum, quantò magis quærimus ſalutem eorum.*

DE Caluinianâ Hæreſi, re admodum cõfusâ, & perturbatâ, tractatulum editurus, ne beneuolum lectorem, meque ipsũ inex-

inexplicabilibus eius tricis implicarẽ, maioris lucis & claritatis gratiâ, illum in certam methodum, & duodecim capitum ordinem dispoſui, quem ceu filum mecum ſtudioſus lector in ingreſſu huius labyrinthi, atque egreſſu, tutò ſequetur. Capite I. fiet Eccleſiæ obiter mentio. Cap. II. Hæreſeos vniuerſæ natura, & proprietates quædam explicabuntur. Cap. III. Noſtri æui ſectæ quæ, & quot, indicabuntur. Cap. IV. Reliquis miſſis Caluinianam ſectam hæreſeos conuincemus. Cap. V. Doctrinam & Traditiones eius expediemus. Cap. VI. Mutuas illius diſſidias & ſchiſmata prodemus. Cap. VII. De Piſcatorianis. Cap. VIII. De Armi-nianis ſermo inſtituetur. Cap. IX Sectæ Caluiniſticæ praxis, id eſt, Eccleſiaſtici ritus, & cæremoniæ depingentur. Cap. X. Eius ſtatus in Gallia. Cap. XI. Eius ſtatus in Anglia. Cap. XII. Eius ſtatus in Germania deſcribetur.

CAP. I.

De Eccleſia.

ETſi præſentis non ſit inſtituti mentionem facere de Eccleſiâ, tum quia eius maieſtas

iestas, & amplitudo augustior est, quã quæ angusto hoc verborum compendio explicetur, tum quia peculiarem eius διατύπωσιν, atque explanationem loco, & occasione commodiore, Deo iuuante, pertractandam mihi reseruo, tamẽ sectarum, ac hæreseos naturam, pellemq; descripturus, Ecclesiæ memoriam silentio prorsus inuoluere nõ possum, non solum propter vim oppositionis, sed etiam originis ordinẽ. Omnis enim hæresis defectio est, secessio, & apostasia ab Ecclesia; & Ecclesia prior est omni hæresi, sicut veritas mendacio, bonitas malitiâ, rectitudo curuitate, affirmatio negatione: vt meritò citra omnem controuersiam valere debeat, illud vulgi ore tritum, & decantatum: *Antiquissimum quodque verissimum*; itemque *omnis in religione nouitas, vanitas.* Pulchrè hoc parabolicâ similitudine, qua homo inimicus in agro dominico, post sparsum semen bonum, superseminat zizania, Christus, ipsa veritas, & sapientia, in Euangelio declarat, Matth. 13. Luc. 8.

Luc. 8. ad quem locum alludens Tertullianus, ſcitè admodum loquitur, lib. de præſcr. cont. Hæret. cap. 31. *Ex ipſo ordine manifeſtatur id eſſe dominicum, & verum, quod ſit prius traditum; id autem extraneum & falſum, quod ſit poſterius immiſſum.* & lib. contr. Praxeam Hæreticum: *Quo peræquè aduerſus vniuerſas hæreſes iam nunc præiudicatum ſit, id eſſe verum, quodcunq; primum: id eſſe adulterum, quodcunque poſterius.* Similiter lib. contr. Hermog. Hæreticum, in princ. clarè admodum: *Solemus*, ait, *Hæreticos compendii gratiâ de poſteritate præſcribere. In quantum enim veritatis regula prior, quæ etiam futuras hæreſes pronunciauit; in tantum poſteriores quæque doctrinæ * hæreſes præiudicabuntur.* NB. Exempli gratiâ: Lutherani Caluiniſtas, & Zuinglianos Hæreticos eſſe clamitant, quia ipſis poſteriores, & ab ipſis defeciſſe cognoſcuntur: Similiter Caluiniſtæ Piſcatorianos & Arminianos Hæreticos pronunciant, quia ipſis poſteriores, & à puris Caluiniſtis defeciſſe iudicantur.

ECCLESIAM itaque, vt eſt viſibilis Chriſtianorum cætus, (neque enim de inuiſibilibus, & occultis iudicium, & ſermo noſter eſt) eiusdem fidei, & Sacramentorum communione, in legitimum ac optimum, ſub perpetuo paſtorum, Epiſcoporum, Romanique Pontificis regimine, ordinẽ diſpoſitus, & à Iudæis, Paganis, Hæreticis, & Schiſmaticis diſtinctus, quatuor potiſſimùm titulis ornatam in ſcripturis reperio, quibus non ſolum omnis eius decor, virtus, & pulchritudo, ſed & arctiſſima eius eſſentia, & natura quodammodò explicatur.

Primò dicitur *Chriſti ſponſa.* Cant. 6.

Secundò *Chriſti corpus.* Rom. 12. 1. Cor. 10. & 12. Eph. 1. & 4.

Tertiò *Chriſti Regnum.* Dan. 7. Luc. 2. & 17.

Quartò *Domus Dei* 1. Tim. 3. Vnde viciſſim Chriſtus in ſcriptura appellatur *Eccleſiæ ſponſus, Caput, Rex, Paterfamilias.*

Si quando Eccleſia in ſcripturis, vel SS. Patrum libris *Mater* appellatur,

& in

& in Cant. *Amica, Columba, Soror*, &c. ad primum titulum: si quando spiritualis *Noa arca, & vnum ouile* Ioh. 10. ad vltimum: si quando *ciuitas, inexpugnabilis arx, & turris*, similiter ad vltimum, vel tertium commodè referuntur.

Duobus prioribus intima significatur, & indissolubilis Christi cum Ecclesia vnio; duobus posterioribus intima & perpetua eiusdem cum eâ communio, atque cohabitatio.

Si est SPONSA Christi non est nisi vna, quia sponsus est, qui habet spõsam, ait Ioannes Bapt. (non sponsas) *Ioh. 3.*
Ideoque *mysterium illud*: viri & fœminæ coniugalis vnio, *magnum est*; *Ego autem dico in Christo, & Ecclesia*. (non Ecclesiis) Est ergo tantum vna, quia sponsa est, non concubina, multò minùs meretrix. Imò si est sponsa CHRISTI, vna est, quia Christus vnus est, nec Christus vnus bigamus est, nec polygamus: Vnius est vna tantum, nõ vt vnius Iacobi Rachel, sed vt vnius Adami Eua. Meritò igitur facessant i- *Eph. 5.*

ſtæ vociferationes: *Eccleſia Gallicãa, Eccleſia Anglica-Catholica, Eccleſia Palatina, Eccleſia Saxonica, &c.* inprimis cũ illæ, eiuſmodi authorib. ipſiſmet teſtibus, vno nõ ſpirent ſpiritu, neq; vnâ animâ viuant. Sed multò magis inſanum eſt, quãdo bacchantes iſti Eccleſiã, q̃ Chriſti aliquando fuiſſe ſponſam fatentur, vel adulterã clamitant, vel prorſus interiiſſe, & mortuã ſimulant, Chriſtũq; longo tempore viduum, tandẽ ad ſecundas nuptias, cũ alia coniuge, tranſiuiſſe occultè inſinuant. Quare cõcludo, ſi Eccleſia eſt ſponſa Chriſti, nunq̃ errare poteſt, nunquã adulterinum ſemen, & ſpurcas errorum ac hæreſum ſordes in caſtum ſuum ſinũ, & virginale gremium recipere, quod ſpõſæ hui⁹ paranymph⁹, eiuſq; pudicitiæ cuſtos, ſit Spiritus S. qui eam ducit in omnem
Ioh. 16. veritatem. Quod ſi Eccleſia eſt CORPVS Chriſti, iam etiam illius tanquã capitis ſpiritu regitur, & ab illo omnẽ ſuum ſuccum, & gratiarum humorem imbibit, ſicut caput in corp⁹, omniaq; eius membra influendo ſeſe communicat. Et certè ſi corpus eſt CHRISTI,

eius ſubſtantiâ, non pane, vel cibo ali-
quo terreſtri paſcitur, & ſuſtentatur.

At ſi Eccleſia eſt REGNVM Chriſti, ſanè non eſt confusũ aliquod hominũ chaos, corpus ἀκέφαλον, ſine capite, & rectore, tumultuans. Regnum. n. eſt, nõ ἀναρχία: & quia regnum CHRISTI, ſummus in illo & ſapientiſſimus ordo eſt, quo alii ſubditi conſtituuntur, alii præfecti: atque præfectorum iterum quisque ſuis collocantur gradibus, ad locum aliquem in iis primum vſq; & ſupremum. Hoc Monarchico ordine Chriſtum in terris ſuum inchoaſſe ac fundauiſſe regnum, neq; hæretici infi-cias ire audent, quem etiam Philoſo-phi, & ſapientes Gentilium nõ modò omnium eſſe perfectiſſimũ, ſed & vn-diquaque optimum, eruditè tradide-runt. Hoc verò nimis inſulſum eſt, & friuolum excipere, in Eccleſiæ exor-dio Monarchiam viguiſſe, ſed illam i-niquorum temporum ſucceſſione, at-que progreſſu, in Ariſtocratiam de-ſiiſſe. Nos potius, quia regnum hoc eſt æternum, & nullus eius eſt futurus finis.

De Chriſto concedit Calu. l. 4. c. 6. §. 3: De Petro ib. §. 8. fuiſſe Apoſtolorum Principem, & in Eccleſia primatum obtinuiſſe.

Deinceps factam eſſe Eccleſiæ poteſtatẽ Ariſtocratiam li. 4. c. 11. §. 6.

finis, ſuum quoq́; primæuum & natiuum ordinem, ſtatumq́;, ſuam item libertatem, iura, regalia, priuilegia, & quicquid bonornm in illud Chriſtus Rex contulit, nunquam amittere cōtendimus. Tale.n. decet Chriſtū Regem regnum, cuius excellentiâ, atque maieſtate nihil à nobis dici, aut cogitari poſſit excellentius, maius, aut perfectius. Deſine ergo, deſine, inquã, Eccleſiam, Chriſti regnū, reformare, vitã tuam reforma, mores emenda, atq́; oſtende te tanto regno, atq́; imperio incolam, & ſubditū non indignū. Quorum eſt receptcculū domus illa Dei? regnum hoc Chriſti? non Italorum tãtum, non Hiſpanorū tantum, &c. Sed etiã Indorum, Iaponēſium, Americorum, Braſilienſium: omnium populorū, omnium gentium, Regū, & Principū. *Euntes in mundū vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Marc. 16. Matt. 28. *Exiuit ſonus eorū in omnē terrã* Act. 1. *Vt omnis lingua confiteatur, q̄ Dominus Ieſus Chriſtus eſt in gloria Dei patris.* Philip. 2. *Omnis tribus, populus, & lingua*
illi

illi seruient. Dan. 7. *Et timebunt gẽtes nomen tuũ, & omnes reges terræ gloriam tuã.* Ps. 101. *Et adorabunt eũ omnes reges, omnes gentes seruient ei.* Ps. 71. Quo vsq; illud se extẽdit? *Dominabitur à mari, vsq; ad mare.* Ps. 71. *Ab ortu solis ad occasum nomen meum magnũ est in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomẽ meum in gentibus.* Mal. 1. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Ps. 2. Quamdiu autem durat? *Donec ponat inimicos scabellum pedum suorum.* Ps. 109. *Regnum eius regnũ sempiternum.* Dan. 7. & 9. *Regni eius non erit finis.* Luc. 2.

Tandem si est DOMVS Dei, in illa nos oportet nasci, in illa ali, & sustentari, non alias præter hanc domum foris exstruere casas, non alia inhabitare tiguria, non alias quærere ædiculas: & quia est domus DEI, extra illam salus non est, quia salus & liberatio à Deo est, qui inibi, non alibi, domesticos suos non extraneos, omnibus paternis vult beare & satiare bonis. Vltimò si

mò si est domus Dei, certè stabilis est, immota est, nullis persecutionũ tempestatibus, atq; procellis potest collabascere; nulla errorũ hæresumq; colluuie, atq; inundationibus diffluere: nullo prorsus hostiũ, & Aduersariorũ impetu dirui, atq; subuerti. Atq; hoc est quod ait Christus: *super petrã ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eã*, Matth. 16. non verò sicut homo stultus *super arenam*, vt eã paulò post alibi reponere cogar, & ex veteris domus ruderibus, atque frustis exædificare nouã: quod tamen Christo contigisse Caluinus expressè affirmat, dum ait: quod *Deus ab ipsa quoq; vastatione semirutum ædificium superesse voluit*, ex cuius reliquiis, & ruinis sibi iam * nouum exstruxit. Ex his breuiter dictis satis luculentè, vt existimo, constat, Ecclesia Christi quid sit, & quomodo comparata; quod sit vna, quod casta, & impolluta, nullisque errorum maculis, vel rugis deformis; quod sit æterna, nempe contra omnes inferorum portas in rupe fundata,

lib. 4. inst. c. 2. §. 11.

* *Caluinianum.*

data, quæ neq; corruere, neq; loco dimoueri potest; quod sit optimâ formâ & ordine constructa, distinctis officiis, & gradibus in vnum regimen composita; quod sit amplissima, quæ à mari ad mare, ab oriente se extendit ad occidentem, quod sit Catholica, hoc est vniuersa, & omnium nationum, populorumq;, Regum, ac Principum Receptrix, & Mater; deniq; in quâ solâ salus, & extra quam perpetua ad ignem æternum damnatio.

CAP. II.

De Hæresi.

QVod cõtingit in omni Regno, hoc etiã in Christi in terris regno accidere non solùm S. literæ, sed tristis etiã euentus, & deplorata hæc nostra ætas, nostrum inquam ipsorum exemplũ, ad oculum clarè docet. Quod vnquam in terris ab exordio mundi extitit regnum, in quo nihil vnquam à subditis fuit excitatum tumultus? in quo nulla vnquã discordia? nulla per-

turbatio, nulla vnquam rebellio? ecce ſimilis caſus in regno ſuo futuros prædixit Imperator Chriſtus ipſe: *Multi Pſeudoprophetæ ſurgent, & ſeducent*
Matth. 24. *multos, quoniam abundauit iniquitas, refrigiſcet charitas multorum.* Et Pau-
1. Cor. 11. lus, magnus huius regni Dux, & princeps: *Oportet inter vos eſſe hæreſes, vt qui probati ſunt, manifeſti fiant.* Quid hoc eſt Hæreſis? nomine quidem opinio, & priuatus alicuius cõtra vniuerſæ Eccleſiæ ſpiritum ſenſus, ſed re apoſtaſia in fide: initio eſt ſchisma & ſeparatio ab Eccleſia; fit deinde rebellio, & pugna contra Eccleſiam, quam primò palam accuſare, vt iuſta videatur ſeceſſionis cauſa, poſtea vi, & polemicis ſcriptis oppugnare, Eccleſiæ nomen, titulos, & iura ſibi vſurpare, & tandem etiam eius bona, & poſſeſſiones inuadere, ſolet. Hæreſis igitur eſt ille tumultus, iſta perturbatio, factio, & rebellio, quæ in Chriſti in terris regno, hoc eſt in ſuâ apud nos Eccleſia, Diaboli, hominumq; malitiâ, euenire ſolet. Et quia
Hære-

Hæretici, sui Reguli, qui se in Angelum lucis transformare potest, exemplo, *sunt*, vt ait Cyprian. *simiæ Catholicorum*, aliquot hæreseos signa, proprietates, & notas exprimemus: quæ etsi numero tot sunt à contrario sensu, quot Ecclesiæ à Catholicis attribui possunt, tamen pauciores, easque, quæ directè in vniuersam hæresin, omnium hominum calculo, & suffragiis competunt, afferemus. *Cypr. epist. 73. ad Iubaianum.*

PRIMO itaque omnis Hæresis, quia schisma est, & apostasia ab Ecclesia, habet NOVITATIS notam, quâ quidem maximè notâ Sanctos Ecclesiæ Catholicæ patres aduersus omnẽ Hæreticorum lernam semper gloriatos fuisse, & triumphasse constat. Tertull. lib. de præscript. *Qui estis vos? vnde, & quando venistis? vbi tam diu latuistis?* S. Optatus lib. 2. contr. Parmen. *Vestræ, inquit, Cathedræ originem ostendite, qui vobis vultis Sanctam Ecclesiam vẽdicare.* S. Hieron. in epist. ad Pammachium, & Oceanum. *Quisquis, inquit, assertor es nouorum dogmatum, quæso te* *Hæreseos Nota.*

vt parcas humanis auribus, parcas fidei, quæ Apostolico ore laudata est. Cur post quadringentos (hodie post mille & sexcentos) *annos docere nos niteris, quod ante nesciuimus? vsque in hunc diem sine vestrâ istâ doctrinâ Christianus mundus fuit.*

SECVNDÒ, omnis hæresis quia noua est, ab AVTHORE vno, à quo sicut vitam, ita & nomen accipit, & quidem homine Ecclesiastico, superbo, & ad turbas nato, progenita est certo loco, & tempore. Hanc etiam tradunt SS. Patres. Sanctus Iustinus in Triph. de Hæreticis: *Et sunt*, inquit, *dictis cognominibus, denominati à quibusdam viris, vt quisque fuit author alicuius nouæ doctrinæ; ex iis alii vocantur Marcionistæ, alii Valentiniani, alii Basilidiani, alii Saturniniani, alii alio vocabulo, quisque à primo inuentore sui dogmatis.* Sanctus Irinæus, lib. 1. cap. 20. *Habent*, inquit, *& vocabula à principe impiissimæ sententiæ Simone, dicti Simoniani.* S. Chrysost. hom. 33. in Act. Apost. *Illi habent quosdam à*

qui-

quibus appellantur: prout enim Hæresiarchæ nomen, ita & secta vocatur. Quod autem eiusmodi authores sint Ecclesiæ homines, vitâ improbi & sensibus elati, docet S. Aug. de vera relig. ca. 8. *Ex his, inquit, hominibus hæretici sunt, qui si in Ecclesia permansissent, nihilominus errarent.* Idem lib. de pastor. cap. 8. *Diuersis locis sunt diuersæ, sed vna mater superbia omnes genuit, sicut vna mater nostra Catholica omnes Christianos fideles, toto orbe diffusos.*

TERTIA nota est, q̄ omnis ab origine Ecclesiæ ad præsens sæculũ M.DC. hæresis ab ECCLESIA ROMANA, conuocatâ Concilii cõgregatione, & Doctorũ Catholicorũ scriptis DAMNATA est: quia.n. contra Ecclesiã rebellio est, hanc Ecclesia non alio nisi spiritus gladio, & ANATHEMATIS fulmine vindicat, & trucidat. Hæc satis colligitur ex inductione exemplorum, & ex S. Hieronymo lib. 9. Apol. cont. Ruff. vbi ait: *Scito Romanam fidem Apostolicâ voce laudatam eiusmodi præstigias non recipere.* Sanctus Cyprian. li. 1. epist. 3.

Ad Romanos perfidia non poteſt habere acceſſum. Adeò vt regula ſit: *Quicquid ab Eccleſiâ Romanâ approbatur verum eſt, falſum contra, quidquid ab illa damnatur.* Ita enim Sanctum Ambroſium video locutum, orat. de obitu Satyri, dũ ait: *Is cum Epiſcopis Catholicis conuenit, qui cum Romanâ Eccleſiâ conuenit.*

QVARTÒ omnis hæreſis notam habet CONFVSIONIS, & ΑΝΑΡΧΙΑΣ, propter quam nulla vnquam habuit firmam & ſtabilem alicubi ſedem, & continuam miniſtrorum ſucceſſionem; ſed ſicut nuper eſſe cæpit, ita poſt ſeculi vnius, vel pauciorum adhuc annorum decurſum deſiit, ac prorſus euanuit: licet quandoque ex hæreſibus olim ſepultis quædam rediuiuæ, ſuſcitante Diabolo, ab inferis in lucem reſurgant. Hanc ἀταξίαν & cõfuſionem ſtatus vel regiminis apud Hæreticos, pluribus in medium allatis exemplis vellicat Tertull. lib. de præſcript. vbi ait: *Quis Catechumenus, quis fidelis, incertum eſt: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant, pariter cãtant.*

tant, &c. Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconſtantes, nunc Neophytos collocant, nnnc ſæculo obſtrictos. Et poſt tres interiectas lineas: *hodie diaconus, cras lector, hodie presbyter, qui eras laicus: nam & laicis ſacerdotalia munera iniungunt, &c.*

QVINTA nota hæreſeos eſt DISCORS & diſſentiens DOCTRINA, paſſim ſecum pugnans, rituumque, & cæremoniarum mira diſcrepantia, quia nullo ordine, nullo regimine, nullo magiſtratu coercetur: propter quam in mille poſtea ſectas, & partes ſcinditur, ac diſtrahitur. Hanc ſatis clarè docet Tertull. lib. de præſcr. *Denique penitus inſpectæ hæreſes omnes in multis cum authoribus ſuis diſſentientes deprehenduntur.* Et Irinæus, lib. 1. cap. 21. & ſeqq. vbi demonſtrat hæreſin Simonis primi Hæreſiarchæ mox diuiſam, & inde natas ſectas Menandrianorum, Baſilidianorum, Saturninianorum. De Donatiſtis ſcribit S. Aug. lib. 1. de Bapt. ca. 6. Hæreſin Donatiſtarum in multa minutiſſima fruſta

con-

concisam fuisse suo tempore. Idē ipse testatur de Manichæis, lib. de Hæres. c. 48. Ariani etiam singulis ferè annis fidem mutabant, vt scribit Hilarius in vtroque libro ad Constantium. Ideoq; mox diuisi sunt in Acacianos, Macedonianos, Eunomianos, vt patet ex Ruffino lib. 10. hist. cap. 25.

VLTIMA nota est Hæresis INTERITVS & MORS, sicuti hoc monstrū pro primâ notā habet nouitatis & natiuitatis: in secundâ parens illius indicatur, à quo vitā trahit, & nomen suū: in tertiâ turpe, spuriū, adulterinū publicè iudicatur: in quartâ ostenditnr quā male omnibus suis mēbris sit intus cōpactum: in quintâ quomodo ex vitiosâ illâ membrorū iunctione in multas concidat partes. Et quemadmodū ex insectis, vermibus, multisq; serpentib. constat, sępè etiam in illis partes euulsas, & dissectas, aliquantulū tamen adhuc repere, mouere se, & viuere: ita hoc veprinū monstrum post distracta & diuulsa etiam membra ad tempus modicum superuiuit, sese effert, & extollit

tollit, & modò huc, modò isthuc saltũ aliquem adhuc facit. Sed reuerà tandẽ exspirat animã, & emoritur. Hanc notam explicat S. Aug. Ps. 57. in illud; *Ad nihilum deuenient, tanquam aqua decurrẽs: Non vos terreant,* inquit, *fratres, quidam fluuii, qui dicuntur torrentes; decurrit aqua, ad tempus perstrepit, mox cessabit, diu stare non possunt. Multæ hæreses iam emortuæ sunt, cucurrerunt in riuis suis quantum potuerunt, decurrerunt, siccati sunt riui, vix eorum memoria reperitur, vel quia fuerunt.* Sanctus Cyprianus etiam lib. 4. epist. 2. dicit Schismaticos initio quidem feruere, sed statim cum prauâ suâ æmulatione deficere.

Hæc omnia institutâ exemplorũ inductione, tanquam in speculo, clariùs videntur: in quibus singularum hæresium nouitas, author apostata, homo fastuosus, simulq; locus, & tẽpus, anathematismus, & proscriptio ab Ecclesia Romana, cõfusio, & ἀταξία, discordia in suâ ipsius doctrinâ, omnibus ad oculum apparent. Ac ARIANA quidem hæresis cæpit anno Domini 324.

in

in Ægypto, authore Ario, presbytero Alexandrino, homine impio, & superbo, damnata à Concilio Nicæno, sub Pontifice Syluestro, oppugnata ab Anathasio, Hilario, aliisque Sanctis Ecclesiæ Catholicæ patribus.

MACEDONIA, quæ ab Ariana defecit, cæpit anno Christi 364. authore Macedonio, Episcopo Constãtinopolitano; & damnata à Concilio Constantinop. sub Pontifice Damaso, expugnata à Nectario; & Cyrillo Hierosolymitano, aliisque.

NESTORIANA cæpit anno Christi 431. in Thracia, authore Nestorio; Episcopo Constantinop. damnata à Concilio Ephesino, sub Pontifice Cælestino, oppugnata à Cyrillo, &c.

EVTYCHIANA cæpit anno Domini 449. in Asia, authore Eutyche; Abbate Constãtinopolitano, damnata à Concilio Chalcedonensi, sub Papa Leone I. & oppugnata à Flauiano Episcopo, &c.

Similis sequentium omnium catalogus pertexi potest de Donatistis, à

Dona-

Donato in Africa; de Pelagianis, à Pelagio, Romanensi Monacho, qui suũ virus infudit Angliam; de Manichæis, à mane Persa. &c. ad nostra vsque tempora.

Sic HVSSITARVM, hæresis excitata in Bohemia, circa annum 1409. authore Iohanne Husso, presbytero Pragensi, damnata à Concilio Constantiensi, anno 1414. *Hussitarũ.*

LVTHERANORVM, & quicunque illos secuti sunt, hæresis cæpit in Saxonia, anno 1517. authore Martino Luthero, ordinis S. Augustini Monacho, damnata à Concilio Tridentino, sub tribus gloriosis Pontificibus, ordine sibi succedentibus, Paulo III. Iulio III: & Paulo IV. oppugnata ab omnibus Catholicis Academiis, doctoribusque innumeris, maximè à duobus Reuerendissimis & Illustrissimis S. R. E. Cardinalibus, HOSIO, & BELLARMINO, qui adhuc, diuino munere, in viuis est; vtroque splendidissimo ætate nostrâ Ecclesiæ Catholicæ LVMINE, & COLVMINE.

Hæresis aliquot affectiones.

Præter has insigniores, supra commemoratas, notas, aliæ aliquot vel Hæresis, vel Hæreticorũ affectiones à SS. Patribus enarrari solent. Primò quod omnis hęresis sit cum aliquâ manifestâ in Deum impietate coniuncta.

Secundò quod in iis plerumq; locis nasci, & educari solet, feliciusque crescere, & germinare, in quibus potestate & disciplinâ remissiore, viuitur liberiùs, & licentiùs.

Tertiò quod omnis hæresis abiiciat, damnetq; sanctum salutaris pœnitentiæ & confessionis sacramentum. Hoc obseruauit Lactantius lib. 4. c. 30. vbi contra Nouationos sic loquitur: *sed quia singuli quique cætus Hæreticorum se potissimùm Christianos, & suam esse Catholicam Ecclesiam putant, sciendum est illam esse veram, in qua est confessio, & pœnitentia.*

Quartò quod omnes omnium temporum Hæretici ad solas confugiunt scripturas, nullumq; causæ cõtrouersæ, præter illos, iudicem agnoscãt, vel admittant. Hanc etiam annotauit

Ter-

Tertullianus lib. de præscript. aduersus Hæret. *Vt iam, inquit, de eo congrediamur, de quo Aduersarii prouocant: scripturas obtendunt, & hac sua audacia statim quosdam mouent: in ipso verò congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo demittunt.*

Quintò quod omnes ferè hæretici Ecclesiam vel in antiquæ doctrinæ puritate defecisse, vel prorsus apud Catholicos periisse prætexunt, & apud se solos illam vel mansisse, vel transiuisse clamitant. Sic Donatistæ, vt refert Sanctus Augustinus lib. de vnitat. Ecclesiæ, cap. 12. se Catholicos nominare, & dicere solebant, Ecclesiam visibilem de orbe terrarum periisse, & apud se in solâ Africâ remansisse. Iidem Catholicos crudelissimè tractabant, oderant vehementer Monachos, & Episcopos, quos Pharisæos appellabant, & inprimis Pontificem Romanum, cuius sedem vocabāt Cathedram pestilentiæ, sacros calices vendebant, sacrum chrisma proiicie-

 bant,

bant, & S. Euchariſtiam, tanquam buccellam panis, canibus dabant, vt patet ex eodem Aug. lib. 2. contr. Petil. cap. 51. & 61. & lib. 3. cap. 40. Et epiſt. 163. Et ex Optato l. 2. & 6. contr. Parmen. Idem Auguſtinus in Donatiſtas ita inuehitur in Pſal. 101. Conc. 2. *O impudentem vocem, Eccleſia non eſt, quia tu in illa non es. Vide ne tu ideò non ſis; nam illa erit, etiamſi tu non ſis.* Et infra Eccleſiam inducit ita loquentem: *Quamdiu ero in iſto ſæculo? annuncia mihi propter illos qui dicunt: Fuit, & iam nō eſt; Apoſtatauit, & periit Eccleſia de omnibus gentibus; Et annunciauit: Ecce ego vobiſcum ſum ad conſummationem ſæculi.*

De Hæreſi obſeruatiuncula. Coronidis loco vnicam ſuperioribus adiiciam non tam Hæreſeos notā quàm de illâ obſeruatiunculam, ex diligenti omnium ſectarum inſpectione, ipsâque rei experientiâ mihi perſpectam. Eſtque hæc: quod omnis in principio ſecta aſtutè ſimulat Dei miſſionem, & zelum, magnam pietatem, vitæ, morumque ſanctimoniam, nihilque

que niſi Reformationem crepat. In progreſſu ſuam oſtentat ferociam, potentiam, & vires; libidinemq́; pugnandi, & concertandi. In fine, & exitu plerumque excuſat ignorantiam, errorem in quo vixit, palliat, culpam à ſe remouet inque alios, vel ſuos maiores, parentes, & præceptores: vel locum, & tempus miſeriæ ſuæ cauſam transfert, & reiicit.

CAP. III.

De noſtri æui ſectis intra ſæculum natis, quæ, & quot?

AVreis literis conſignandum eſt Apoſtoli Pauli vaticinium, quod exſtat 2. Tim. 3. in nouiſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, & erũt homines ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus nõ obedientes, ingrati, ſceleſti ſine affectione, ſine pace, criminatores, incõtinentes, immites ſine benignitate, proditores, proterui, tumidi, cæci, voluptatum magis amatores quàm Dei,

habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes: & hos deuita.

Nondum est sæculum, hoc est, centum annorum spacium, deuolutum, ex quo innumeras Religionis Christianæ sectas passim ad oculum conspicimus, non dico in Europâ, sed in vnâ nostrâ Germaniâ, præter Ecclesiam Romanam, suscitatas, & publico quodam cultu, hominumque frequentatione stabilitas, vt intereà emortuos priscorum temporum hæreticos, qui eodem hoc seculo in lucem, & vitam ab inferis nunc reuocantur, silentio prætercam. Cum enim alta iam esset Ecclesiæ per totum Christianorum orbem, vnico in Bohemia angulo Pragensi excepto, pax, & summa rerum omnium tranquillitas, ac otium, ita vt securè homines in vtramuis aurem dormirent, ecce homo inimicus, semper vigilans, zizania in agro dominico, hoc est Ecclesia, superseminat, mysteriumque iniquitatis, de quo est in Apoc.

cap.

cap. 9. operaturus, *stellæ*, id eſt, docto-
ri, *de cælo*, id eſt, Eccleſia cadenti
clauem tradit putei abyſſi. Et ipſe a-
peruit puteum abyſſi, & aſcendit fu-
mus fornacis magnæ, & obſcuratus
eſt ſol, & aer de fumo putei, & de
fumo putei exierunt locuſtæ in terram, & data eſt illis poteſtas, ſicut
habent poteſtatem ſcorpiones terræ.
In quem locum, precor lectorem
propter Deum, vt videat propheti-
cam explicationem diuini ſcriptoris
Bellarmini, orationis loco in ſcholis
habitam, quæ in aureis ipſius ſcriptis
inſtar pyropi, vel pretioſiſſimæ gemmæ ſuperlucet.

Quare præſentis ſæculi ſectas de-
ſcripturus, de verbo ad verbum, Eu-
angelicorum Hiſtoriographum Ioh.
Sleidanum, qui apud Lutheranos,
& Caluiniſtas authenticus, & omni
fide dignus author habetur, ſequar,
& obſeruabo. Anno Dominicæ incar-
nationis 1517. primus omnium in a-
renam prodit MARTINVS LV-
THERVS, ignotis quaſi parentibus

Iſlebii natus, anno 1483. in comitatu Mansfeldenſi, vbi etiam eſt mortuus anno 1546. VVitenbergæ verò ſepultus; Monachus Erfordiæ Ordinis S. Auguſtini, & Theologiæ Doctor. Is captâ occaſione ex Indulgentiis alicubi, per Iohannem Tecelium Dominicanum, nummorum pretio diuenditis, vt narrat Nouatorum hiſtoricus Sleid. contentionem mouet, & diſputationes conſcribit non tam contra hunc abuſum, & iſtius Simoniæ authorem, (ſi credere fas eſt) ſed contra ſalutarem indulgentiarum doctrinam, contra omnes Catholicos, vniuerſamque Eccleſiam. Initio tamen ter, quaterue, & ſæpius, nondum in errore obfirmatus, neque animi pertinax, ſeſe & omnia ſua dogmata, fideiq; ſummam. Eccleſiæ Catholicæ iudicio, & cenſuræ ſubmittit, interim quærit latebras, elabendi effugia, & vitæ ſaluandæ angulum, in quo poſtea magis magisque, de die in diem factus eſt peior, omnemque ſuam excogitauit hæreſim, formauit, peperit, edu-

cauit. Adiunxit sibi paulò post indiuiduum comitem, & rerum gerendarum socium PHILIPPVM MELANCHTHONEM, Brettapalatinum, artium Magistrum, hominem neque ineruditum, neq; alias immodestum, sed minus in fide, vt ego existimo, pro ratione temporis, confirmatum, qui tamen à Luthero ipso in multis dissidens, sibique inconstans, modò pro Luthero, modò pro Zuinglio, & Caluinianis fecit: propter quod etiam non ita pridem ab Academia VVittembergensi in Hæreticorũ catalogum relatus est; nunc tamen, vt audio pristino honori restitutus. Luthero viam strauisse videtur ceu πρόδρομος ERASMVS ROTERODAMVS, qui græci in latinum Noui testamenti nasutâ versione, & monstrosis aliquot in scripturâ excogitatis glossis fundamenta, sequentium dissidiarum, atque turbarum, iecit.

Luthero eodem tempore sese etiã adiungit ANDREAS CARLSTADIVS, verùm qui paulò post à Lu-

 thero

thero deficiens, acre cum ipſo bellum iniit, propter quod Lutheranicâ traditione conſtanter narratur viuus à diabolo ſublatus. Baſilienſes Miniſtri in epiſtolâ quam de morte Carolſtadii ediderunt, paulum variant, & ſcribunt à dæmone interfectum.

Paulò poſt an. 1525. Nouꝰ Propheta ſurgit in Heluetia VLRICVS ZVINGLIVS paſtor Tigurinus, antea Lutheranus, qui Carolſtadii exemplo, audacter etiam cum Luthero in campum deſcendit, ſuamque opinionem mordicus defendit; & cum argumenta ipſi deficerent, ad reuelationem diuinitus ſibi patefactam prouocauit. Hic collegam habuit & ſocium IOHANNEM OECOLAMPADIVM, dictum Iconoclaſtem, Monachum Brigittanum, profugum.

Eodem etiam anno alius adhuc Phantaſta prorumpit THOMAS MVNTZERVS, ſimiliter antea Lutheranns, qui nouo quodam propoſito doctrinæ genere, bonorum omnium communionem docens, maxi-

mam

mam hominum ex agris multitudinem ad se perduxit, adiuncto sibi PHIFFERO consiliorum omnium socio.

Nec longè post, circa annũ Domini 1527. ex horum omnium eiecto stercore, & excrementis, quibus passim aerem in Germania infecerant, nascitur aliud Hæreticorum examen, qui ANABAPTISTAE vulgò dicuntur; homines idiotæ, & prorsus fatui, sartores & sutores ex Hollandia profugi: iiq; anno Domini 1535. & seqq. inauditam & stupendam in Episcopali vrbe, & totius VVestphaliæ metropoli, MONASTERII, tragœdiam egerunt.

Circa hæc tẽpora similiter fanaticus homo, & Enthusiasta SVVENCFELDIVS proserpit in Silesia, vbi suos adhuc dicitur alere catulos: qui ita purificatam à prioribus religionem reformat, vt nullam relinquat, auferens non solum S. Scripturas, vniuersum Bibliorum codicem, sed etiam Sacramenta, & templa; soloque spiritu,

Dei-

Deiq; inspirationibus viuendum, cõtendens. Hunc maximè sequuntur LIBERTINI. Circa annum Domini 1536. Exoritur noua prædicandi Euãgelii tuba, IOHANNES CALVINVS, qui à prioribus omnibus dissidens, puriorem venditat doctrinam, Ecclesiæque Dei reformationem. Sed de illo in progressu liberaliùs aliquid loquemur. Post hunc protruditur MENNON, nouus sectæ Anabaptisticæ, & iam dissipatæ Recollector & Author, qui non modò priorum Anabaptistarum furores, & deliria in ordinem, methodumque doctrinæ redegit, sed etiã maximam inferioris Belgii partem, Frisiam, & Hollandiam pestilenti suâ hæresi compleuit. Anno Domini 1538. scribit Sleidanus ortam sectam ANTINOMORVM, qui pœnitentiam ex Decalogo non esse docendam dicunt, & Lutheranos oppugnant, qui docent non esse prædicandum Euangelium, nisi primum quassatis animis atque fractis per explicatiouem legis: in iustificationis verò articulo cum

Luthe-

Lutheranis conueniunt, ſtatuentes quæcunque tandem ſit hominis vita, & quantumuis impura, iuſtificari tamen eum, ſi modo promiſſionibus Euangelii credat. Anno Chriſti 1550. Nouos fidei articulos adfert, & magis elimatũ de iuſtificatione dogma ſpargit in Boruſſia ANDREAS OSIANDER, Lutheri, vt aiebat, authoritate, & oraculo, (credo in apparitione facto) ad hoc inſtructus, ad cuius prædicationem omnes priores Lutherani, iam nuper introducti, iterum propelluntur, & in exilium mittuntur, vt qui minùs rectè propheticum Lutheri ſpiritum, & mentem intellexiſſent.

Taceo SERVETVM, taceo STANCARVM, SOSINVM, aliosque Trinitariorum inſtauratores, & Patronos, eodem hoc ſeculo natos, ac nunc atrociter ſatis longè, lateque in Tranſyluiana, in Polonia, & finibus Morauiæ graſsãtes. Videto pie Lector, quot aſpides, quot Baſiliſcos, & ſcorpiones, quot coruos excluſit vnicum hoc ſeculum ex ouis, quæ poſuit, & cacauit

Luthe-

Lutherus, quo omnes, & ſinguli gaudent, & gloriantur vel patre, vt Lutherani; vel auo, vt Caluiniſtæ; vel abauo, vt omnes Anabaptiſtæ, Mennoniſtæ, cæteraque vniuerſa id genus ſpuriorum colluuies. Hoc Lutherus parens, qui optimè ſuos nouit natos, & nepotes, ipſe fatetur; ideoque Carolſtadium ſuum Abſolonem, reliquosque, vt Sacramentarios, & Catabaptiſtas, filios degeneres appellat. Et viciſſim filii nullo pudore erubeſcunt Lutherum ſuum nominare patrem, vt Lutherani; & auum, ipſi Caluiniſtæ. Etenim in lib. de reformandæ Eccleſiæ ratione Caluinus gratis hoc agnoſcit, ac diſertè ait Lutherum cum ſuis nobis præluxiſſe, vt ex his erroribus papalibus erueremur. Ideoque in lib. aduerſus VVeſtphalum, dignis auo ſuo elogiis ipſum collaudans: *Magnum Prophetam* appellat, & *ſeruum Dei.* Hoc teſtimonium etiam poſteritati prodere, & ad perpetuam memoriam exſtare voluit in ſuis inſtitutionibus, l. 4. c. 3. §.

Tom. 6. VVittenb. f. 405.

4. vbi

4. vbi ait: *Deus etiam noſtro hoc tempore excitauit Apoſtolos, & Euangeliſtas.* Beza etiam, ſicuti in oſtentandis familiis, & maioribus ſuis, illuſtres viri agere ſolent, Lutheri non modò memoriam, ſed etiam effigiem in ſuis Iconibus, & picturis ſculpi curauit, & ſuo ordine ante ſuum patrem Caluinum collocari. Et in reſponſionibus Sainctesii; vocat Lutherum *eximium Dei organum, toto ore diuinitus inſpiratum, ſeruum Dei, & quidem egregium, ac valdè excellentem, admirandum in diebus noſtris, in quo qui ſpiritum Dei non ſentit, nihil ſentit.* Ita quidem optimè, vt ex propriâ ſuâ confeſſione conſtet, Bezam nihil ſentire, quia in Luthero Dei ſpiritum non modò non ſentit, ſed illum etiam oppugnat, & falſiloquum damnat, & exſecratur.

Horum autem Nouatorũ omniũ, & ab Eccleſiâ Catholicâ Apoſtatarum, quos lõgo ordine enarraui, pars maxima è viuis diſceſſit ſterilis, & ſine educatâ, vel ſuſcitatâ prole: tres ſolum

inter

inter ipſos primipilares patresfamilias liberos, & familiam nobis relique-rũt, eamq́; longè, latèq́; propagarunt & in remotiſſimas prouincias, principatus, & regna infuderunt. Primus eſt & omnium parens, LVTHERVS, à quo Lutherani: ſecundus eſt CALVINVS, Lutheri Abſolon, & degener filius, à quo Caluiniſtæ: tertius MENNON, Lutheri nepos, ſed prorſus ſpurius, à quo Mennoniſtæ, omnesq́; Anabaptiſtæ ſunt proſeminati. Quod ZVINGLIANOS in Heluetia attinet, illi cum Caluiniſtis fœdus pepegerũt, & in vnam gentem certis pactis tranſiuerunt. Porrò Lutheranorum hodie duæ ſunt principales cohortes, doctrinâ, & cæremoniarum ſymbolis multùm diſtinctæ: Caluiniſtarum, tres, vel quatuor, cane peius & angue inter ſe colluctantes: Mennoniſtarũ plurimæ, circa viginti, vel triginta. Adeò horum trium Patriarcharum familiæ fœcundæ ſunt, vt ſemper poſteriores vincant priores. Et quis id fieri miratur? in aureo hoc ſæculo, in EV-

ANGELICA illa CONSCIENTIAE LIBERTATE. Interea versus aliqui fortè fortuna occurrunt, quos olim lyra cecinit Flaccus.

Ætas parentum, peior auis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

De his omnibus, & singulis pulchrâ quædam Genealogia conscribi posset: sed compendii gratiâ nos primâ, & vltimâ suo loco relictis, mediã stirpem, quæ CALVINISTARVM est, paulùm perlustrabimus; eiusque originem, accretionem, collaterales ramos, & truncum totum præsenti Caluinographiâ ad viuum resecabimus.

CAP. IV.

De Secta Caluinistica;

In quo Hæresis esse conuincitur, simulque eius ortus, & progressus indicantur.

SI vnquam fuit hæresis, *Caluiniana* est; vel si Caluiniana non est, nulla fuit hæresis, nunquam, & nusquam; vtpote quæ sentina est omnium hæ-

resium, omnium veterum errorum, & damnatarum opinionum colluuies, & barathrum, omnium sordium, & pestilentis fœtoris cloaca.

Quæ potest esse hæresis nota? quod signum, vel argumentũ, quod Caluinianæ non propriè conueniat? vis illius authorem? dabimus, eiusq́; natiuitatẽ, ortum, & progressum graphicè adscribemus. Diabolo QVINTAE TVBAE CALAMITATEM in mundum inuecturo, non erat satis, illã in Germania, primario Christiani orbis regno, ac S. R. Imp. sede, per Lutherum excitasse, passimq́; propagasse, sed etiam paulò post in Gallia, florentissimo Europæ regno, circum circa quæsiuit, & inuenit idoneum sibi ministrum, Luthero socium, per quem ad plures populos, prouincias, & regna tantò expeditiùs quasi duabus alis transuolaret. Is est IOHANNES CALVINVS, quondam Canonicus Nouioduni, in Picardia, vbi etiã obscuris natus est parentib. anno Domini 1509. puer fælicis ingenii, ætate primâ literis, & humaniore di-

Apoc. 9.

scipli-

ſciplinâ imbuitur: adoleſcens verò ad iuris ciuilis ſtudium Aureliæ animum applicat: ſumptâ iam togâ virili, & ſtabile quoddam vitæ genus ſecum deliberans, Eccleſiaſticã ambit conditionem, quod pauper eſſet, & de ſæcularibus laici muneris honoribus deſperaret; fit propter mediocrem in liberalioribus ſtudiis eruditionem in patriâ ſuâ Canonicus. Quid fit? intellecto Lutheri in Germaniâ noui Apoſtoli Euangelio, in quo non modò rigidâ illâ vitæ, & conſuetudinum apud Catholicos diſciplinâ laxatâ, vel potiùs ſublatâ, grata libertas pro libero arbitrio credendi, & ſtatuendi indulgetur, (hanc Euangelici prædicantes vocant LIBERTATEM CONSCIENTIAE) ſed etiam amœniſſimus omnium voluptatum carnis, & ſenſuum, Paradiſus viris Eccleſiaſticis aperitur: Caluinus ad lætum illud Euangelium deſerit Canonicatum ſuum, ſtationem, domum, patriam (Bolſecus in vita eius dicit: *Sed iam ante ab Epiſcopo ſuo ob peculatum, & Sodomiæ*

conuictum excommunicatus , & proscriptus,) & paulò post ducit vxorem,(Ioachimus VVestphalus, aliâs Euangelicus, dicit *meretricem)* quærit latebras, in quibus nouum hoc *Euangelium secundum Lutherum* melius perlegat, perlectum atque intellectum, glossis suis illustret, augeat, atque etiam emendet, ac tandem publicè, & palàm prædicet. Primò omnium, vt Beza in eius vita annotat, Italiam in vestibulo vel limine, quasi ad ostiũ, per transennam introspicit, an intus locus sibi esse possit commodus Euangelizandi, sed parùm sibi, & loco fidens, regreditur: seseque subtrahit in partes Heluetiæ, vbi maior licentia est, vitæque securitas, ac circa Lausannam, Basileam, Geneuam, vbi initio non adeò gratus fuit, oberrat; ac demũ prorupit Argentoratum vsque in Germania, in qua Lutheranorum exemplo, fœliciores videbat nouæ doctrinę proseminandæ progressus. Imò ratio illi suggerebat, se tutiore loco non posse officinam suam locare, quam vbi vel

esset summa populorum libertas, vel Regiminis Aristocratia, aut Democratia. Den Bawren ist gut Predigen. Argentinæ tamen, quod inualescere, atque obtinere Lutheranismum cerneret, & quod Germanica lingua armis se isthic tutari haud satis commodè posset, non ita diu latuit, ac iam fœlicioribus auspiciis Geneuam rediit; vbi quod iam in lucem pepererat monstrum, aluit, & educauit, testamento illi in tutorem post sua fata relicto THEODORO BEZÀ, quondam Priore à Loniumeau, inter Parisios & Aureliam, vico, eiusdem farinæ homine, qui vt se depingendi penicillum, & occasionem aliis præriperet, propriis ipse se, suamque libidinem, coloribus parumper delineauit.

Quod vitam Caluini attinet, eam alii satis luculentè descriptum, posteritati reliquerunt, neque nostrum est curiosiùs in ipsius vitia, moresque inquirere, modò constet, quâ vesani spiritus superbiâ, quo fastu, & arrogantiâ, cum omnibus certet Hæresiar-

chis, ſeſeque ſolum in mũdo ſapientẽ, & eruditũ admiretur. Etenim non ſolũ vniuerſæ bellum indicit Eccleſiæ, omnibus Catholicis; Clericis, & laicis; Subditis, & Principibus obſtrepit, & iram minatur, ſed etiam ſanctis in cœlo cum Chriſto feliciter regnantibus impingit mira impietatis, crudelitatis, ignorãtiæ, errorũ, &c. crimina. Niſi enim etiam ſuperos calumniis ſuis laceſſiſſet, parum ſibi videbatur terreſtri mortalium generi oppediſſe, atq́; illuſiſſe: Monachos otioſos ventres, & lenones traduxiſſe: ſcholaſticos doctores Nebulones, Sophiſtas, Aſinos, proclamaſſe: Epiſcopos Eccleſiæ lupos, & tyrannos ſuggilaſſe; de quibus quisq́; vel à limine eius inſtitutiones ſalutârit, nullus poteſt eſſe ambigendi locus. Habes Authorem, ab Eccleſiâ, & Catholico ordine apoſtatam, hominem ſupra modum elatum, & petulantem. Inquiris illius doctrinam, vetusne ſit an noua, & commentitia? capite ſequenti diſpicias, & ex propriâ ſui authoris cõfeſſione, & teſtimonio,

quod

quod eſt omni exceptione mai⁹, diiudices. Damnata verò eſt, & eodem anathematis fulmine, quo Lutherana hæreſis, à Concilio Tridẽtino perculſa; ac etiamnum ab illuſtribus aliquot Doctoribus, Patribusq́; in Catholicorum Academiis quotidie expugnatur: inter quos meritò nominẽ magnũ illum Athletam, & Caluino-Maſtyga, Martinum Becanum, Societatis IESV Moguntiæ ſacerdotem. De Caluiniſmi verò ordine diſſoluto, ἀταξία, ἀναρχία, ſchismatis, diſſenſionib. deq́; imminente pluribus in locis ruinâ, ac futuro interitu, ſequentia tractatuli huius capita loquuntur. Hic verò ſilentio prętereundum non eſt, quo aſtu, & fraude CALVINISMVS in Germaniam noſtram clanculum irrepſerit, cũ alioqui grauiſſimo Imperatorũ edicto, ac concordi Principum Catholicorũ, & Proteſtantiũ cõſenſu, nouerim⁹, anathemate illi denunciato, fores pręcluſas, nullũq́; in imperio veſtigium permiſſum. Verbo dicam, MANTELLO AVGVSTANAE CONFESSIONIS, quã

nuncCaluinistæ suam esse prætexunt, eiusque hæredes, expulsis à legitimâ eius successione, & possessione, Lutheranis, quadam violentiâ sese constituunt. Etenim etsi satis vniuerso constet orbi, quorum illa sit, & quibus Authoribus fabricata, nec etiam hoc Caluini, Bezæ, Peuceri, Zanchii, Tossani, Pezelii, &c. verbis, censurâ, ac refutatione illius, obscurum sit, tamē paucis ab hinc annis eò impudentiæ progressi sunt, vt Leporinâ quasi memoriâ, callidâ tamen arte suam effinxerint, & declararint dictam Confessionem: ac nominatim Caluinista Sohnius, Heidelbergēsis quondam Professor, illam commentariis & explicationibus illustrare, inque eius approbationem parentem Caluinum, cum omnibus eius nominatis satellitibus, pertrahere ausus fuerit.

in epist. dedicat. vel præfat. opusculi sui Theol.

Lepidè narrat Philippus Nicolai, Theologiæ Lutheranæ Doctor, & Hamburgensium prædicans, alium astum, & stratagema Caluinistarum, quo suam hæresin adeò prospero suc-

cessu

cessu in Germania propagent: nempe illos dedicatoriis psalteriorum, precationum, aliorumque suauissimorũ titulorum libellis suis, aulica Gynicea perrumpere, & penetrare, perq́; Dominas coniuges Maritorum principũ animos sibi demulcêre, inq́; suas partes sensim allicere, & capere. Sunt qui dicunt in Magnatum aulis alium alii Caluinismum vini haustibus propinare, & poculis potiùs quam argumẽtis persuadere. Sat scio, quibus cuniculis illum in Marchiam Brandeburgensem, & Onesbachsensem immittere voluerunt.

Neq́; ab hoc loco alienum est, versipellem dolum Bezæ commemorare, quo conabatur Lutheranos in suam nassam pertrahere, eosque mirâ quadam astutiâ cum Caluinistis in vnam massam redigere. Scripsit enim anno 1556. Confessionem, in qua asseruit Christi corpus verum & realiter esse præsens in cæna, & communicantib. verè & realiter exhiberi: inque eam confessionem consentire Ecclesias

Heluetiorũ, & Geneuensiũ. Verùm cũ inde Lutherani de Caluinistis Sacramẽtariis triũpharent, & Tigurini grauiter in Bezã inuehi cæpissent, respõdit ille se vera scripsisse, sed à Lutheranis non benè intellecta; neq;. n. se locutũ de cœna domini, quæ celebratur in terris, sed de illa quæ celebratur in cœlis, vbi Christus verè & realiter præsens est.

Iacobus Andreæ Lutheranus, qui se *papã Germaniæ* nominabat, vt ait Beza, in colloquio Montispelgardensi, grauiter de istâ Bezæ nequitiâ conqueritur, quomodo ipsi voluerit porrigere post habitũ colloquium *fraternitatis* & consensionis *dextram*, interimq; illius verba à Beza sæpe inuersa esse, trãsposita, expuncta, aucta; q; dictu improbabile non est, cum apertum in S. Bibliis Euangelicum textum & verba Christi sæpius peruerterit.

Zuinglius similẽ de se ipse prædicat astutiã, cum iã à Lutheri sententiâ, quã cum aliis hactenus docuerat, dissentiret, ideoq; vt suã inconstantiam excu-

ſet, dicit, ſe multò ante agnouiſſe, id q̄ verũ erat, ſed tempori ſeruiuiſſe, & in hoc laudari ſe à Chriſto, tanquã ſeruũ prudentem, & fidelẽ, qui dat *cibũ familię in tempore ſuo. Sed calua eſt excuſatio: Non. n. laudat Chriſtus eos, q̄ vt tempori ſeruiant, mentiuntur in religionis, fideiq́; negotiis. Simile à nobis narratur exẽplum ca. 6. de diſſidiis Palatinorum prædicantium cũ doctorib. Acad. Heidelb. Porrò vt ad Caluinum reuertamur, & tandem miſſum faciamus, multa ſuis poſteris reliquit præter inſtitutionum libros, opera; in Vet. & N. Teſt. ſcripturæ ferè totius prolixa cõmentaria, itemq́; opuſcula aliquot parua, & in iis libellum de cõburendis Hæreticis, cuius meminit Sleidanus l. 25. Comment. ad annum 1553. Etſi nunc in Catalogo librorum Caluini vix reperiatur. Editus ille fuit in cauſa iuſti ſupplicii de Michaele Serueto ſumpti, quem Caluinus apud Magiſtratũ Geneuenſem reum egit, & ſupplicio afficiendum pronunciauit. vt ex ſuis epiſtolis colligitur.

* *ſed non venenum.*

epiſt. ad Farell. & epiſt. ad Sulcerum.

Tandem etiam Caluinus Geneuæ

anno 1564. moritur, & vt narrat Hieron. Bolſecus in eius vita, *vermibus cõſumptus*, ſicut Antiochus, Herodes, aliique, exſpirat: qua de re tamen ego nihil certi vnquam cognoui, & aliorum miſeriam libenter compaſſionis ſilentio inuoluo.

CAP. V.

In quo Caluinianæ doctrinæ, non confutatio, ſed breuis & hiſtorica relatio continetur.

CAluiniana hæreſis authore patefacto, conſequens eſt, vt doctrina eius paucis à nobis plebi indicetur. Primò verò omnia illa principia, ex quibus Caluiniſtarum fidei articuli non fluunt, remouenda ſunt; deinde ipſorum dogmata, quæ ex ſolius ſcripturæ libris, vt aiunt, & quidem poſt habitum priùs delectum reliquis, exſtruuntur, conſignanda veniuut; ac vltimò Caluini placita, & traditiones aliquot, quas tamen vulgus doctorculorum, & prædicantium inter ipſos, eâdem

eãdem fide, & pari pietatis affectu, & reuetentiâ suscipit, credit, prædicat, adiiciemus.

Principiò quod videtur esse totius rei ferè fundamẽtum, vniuersam tollunt Caluinistæ è mundo religionem, quia omnem ex Ecclesia eliminant sacrificandi cultum, cum nulla sit, nec vnquam fuerit sine sacrificio religio, teste S. August. lib. 20. contr. Faust. cap. 21. vbi docet sacrificare esse proprium & elicitum religionis actum; & sacrificium cum religione nasci, & cũ illa extingui. Confirmant hoc non solum Abelis & Caini, qui nullam habebant scriptam legem, vel expressum à Deo mandatum sacrificandi, exempla, sed etiam omnes gentes, & pagani, omnes infideles Ethnici, quos semper suis immolasse Diis, vt Athenienses *Ignoto Deo* sacrificasse constat. Act. 17. Vnde Hieron. contr. Lucifer. *Ecclesia*, inquit, *non est quæ non habet sacerdotes.* I.

Hieron. in proœmio comm. in epist. ad Titum: Omnium hæreticorum iste mos est, quicquid contrariũ suo dogmati videtur, vel eradere, vel etiam integra repudiare.

Detruncant S. Scripturæ canonem, ex illo sequentes libros: *Tobiæ, Iudith,* II.

Sapi-

Sapientiæ, *Ecclesiasticum*, *Baruch*, *Macchabæorum*, *fragmenta quædam Danielis*, *& Esther*, *itemque epistolam Ieremiæ* expungunt, interque Apocryphos pro suo libitu referunt: quãuis Lutherus multò plures sustulerit, vt *epistolas: ad Hebr. Iacobi, Iudæ, secundam Petri, Apocalypsin Iohannis:* quas in prologo ex stramine, paleâ, fęno, stipulis dicit esse cõtextas. Vbi obiter notandum tanti erroris Patris sui hodie pudere Lutheranos, ideoq; in margine epistolæ Iacobi ad c. 2. (in bibliis nuperrimè Tubingæ in quarto editis) illũ excusare his verbis: *Hæc epistola nostro & veterũ tempore suspecta fuit, quia Apostolus admodum periculosè loquitur de hominis iustificatione.* Est hoc Spiritum S. censuræ, & Magisterii nostri virgulæ subiicere? an verò etiam manifestè reprehendere, quod non satis prudenter & cautè loquatur?

III. *Cal. lib. 4. inst. c. 18. §. 19. & 20. Et toto c. 19.* Quinq; exterminant ab Ecclesia sacramenta: *Pœnitentiam*, *Confirmationẽ*, *Ordinationem*, *Matrimonium*, *& Extremam vnctionẽ.* De his ita scabiosè Lutherani & Caluinistæ loquũtur, vt pudeat

deat referre. Caluinus dicit coniugalem Matrimonii contractum non magis esse sanctum, & sacramentum, *quā agriculturam, architecturā, sutrinam, tonstrinam.* &c. l. instit. c. 19. §. 34.

Auferunt ex symbolo Apostolico articulum: *Descendit ad inferos. Hanc*, inqt Caluinus, *particulam, quæ legitur in symbolo, apparet non adeò fuisse olim in Ecclesiis vsitatam: vnde cōiicere licet post aliquātum temporis insertam, non protinus, sed sensim Ecclesiis insueuisse.* Sed ne tanti sacrilegii rei arguantur, dicūt se non tollere, sed dextrè explicare: quomodo igitur? nempe significare Christum inferni horrorem, extremos cruciatus, & ignominiam passum. Cæci hanc fallaciam vident. Deinde & illum: *Communionem Sanctorum*, mutilant, dicentes: nullam esse Ecclesiæ triumphantis cum militante, & eorum qui in cœlis, cum iis qui in terris sunt, *sanctorum communionem.*

IV. l.2. Inst.c. 16. §. 8.

sic Calu. l. 2. inst. c. 16. §. 10. & Catech. Heidelb. q. 44.

vide explic. cateh. vrs. in q. 55.

V.

Omnia vetustatis monumenta, & libros, omnes Ecclesiasticos annales,

&

& historias, omnes SS. Patres suspectos habent, & tanquam testes, vel fidei, sanæq; doctrinæ magistros, à disputationibus remouent.

Sleid. lib. 2. Omnia Ecclesiæ concilia, & decreta (taceo Pontificum bullas, & ius canonicum, *quod Lutherus conuocat â omni multitudine scholasticâ, & magnâ doctorũ hominum comitante turbâ, VVitenbergæ,* d. 10. Decemb: anno 1520. *incendit*) ita repudiant, vt planè collationes familiares non admittant.

Sanctorum vitas, & legendas prorsus pro nugis, & fabulis habent, plausibilique paranomasiâ liegenden, id est, mendacia, appellant.

Nunc paucis Caluinistarum palmares fidei articulos, & dogmata, in quib. à Catholicis dissentiunt, indigitabo. *Sit à Ioue principium.* De DEO trino & vno ita verecundè, & sanctè loquitur CALVINVS, vt optet nomina PATRIS, & FILII, & SPIRITVS SANCTI esse sepulta lib. 1. instit. cap. 13. §. 5. Omniaque ista scripturæ loca, quibus SS. Patres filium Patri ὁμοούσιον cõtra

tra Arium olim demonſtrauerunt, vt exempli gratiâ, locum Ioh. 10. *Ego, & pater vnum ſumus*, explicet, & explicandum præcipiat de vnitate voluntatis, non etiam eſſentiæ. in comm. in hunc locum Ioh.

De CHRISTO Beza, Caluini catulus, ita ſubtiliter philoſophatur, vt Neſtorius meliùs mentem ſuam declarare non poterit: duplicem in illo vnionem hypoſtaticam conſtituens, alteram animæ cum corpore, alteram naturæ humanæ cum diuinâ. in lib. de vnione hypoſt. VVhitakerus Cardinalis Caluiniſta ait Bezam admonitũ, & reprehenſium, ab hâc ſententia reſipuiſſe, & errorem, qui fuit Neſtoriana hæreſis, abieciſſe. *Controuer. 2. de Eccl. q. 5. c. 7.*

PISCATOR nouus inter Caluiniſtas hæreſiarcha negat ſubſiſtentiam verbi, naturæ Chriſti humanæ per vnionem communicatam. *in ſuis theſ.*

Sic nouus iterum inter illos ſchismaticus, ARMINIVS, dicitur à ſuiſmet diſcipulis, & familiaribus applaudere Samoſatenis.

Hæc eſt triga illa, & *trinum Numen*, ſub quo tota Secta Caluiniſtica militat, & in quo viuit, eſt, & mouetur. Et quanquam omnes Caluiniſtæ in ſcholis, & templis clarè docent, & profitẽtur Deũ in eſſentià vnum, in perſonis trinum: Et ſimiliter Chriſtum DEI & MARIAE filium ex duabus naturis non confuſis, ſed diſtinctis, alterà diuinâ, alterà humanâ in tempore aſſumptâ, vnam eſſe ὑπόστασιν ſiue perſonam: videmus tamen ita vſu venire excæcatis, & in reprobum ſenſum traditis, vt ipſis non animaduertentibus, horrendas efferant blasphemias, quas etiam, vt Diabolici ſui furoris publicè conuincantur, in libris, & ſcriptis pingunt.

Similis eſt illa, qua Caluinus manifeſtè *Deum conſtituit omnis peccati caput, & authorẽ*, licet diſertis iterum verbis ſæpius neget Deũ eſſe peccati Authorẽ. Caluiniſtæ grauiter conqueruntur, ſibi, & Caluino manifeſtã à Catholicis fieri iniuriã, quod nuſpiam ipſe hanc phraſin, vel terminum habeat: *Deus eſt*

author

author peccati, cũ contraria expreſsè, & clarè in multis paſſim eius ſcriptis exſtet: *Non eſt peccati author.* Verùm nihil eſt, niſi callida fraus, inſignis ſtropha, & fallacia Caluini, qui ſub hac phraſeôs negatione impiæ & blaſphemæ ſuæ ſententiæ virus lectorib. inſufflat, quæ ſunt præſtigiæ Diaboli, qui ſub ſpecie pietatis impietatem, & ſub veritatis colore ſua nobis cõmendat, & vendit mendacia. Etenim Caluinus aſtutè illum tantum, qui peccatum, & ſcelus proximè committit, vocat peccati authorem, vt ſi quis ex ſuggeſtu atq; inſpiratione Diaboli furatus, vel ſcortatus eſſet, non Diabolus, ſed homo tantum furti, & ſcortationis ſit dicendus author. Catholici, & omnes omninò homines communi ſenſu præditi, ex communi loquendi vſu, & propriâ vocis ſignificatione, authorem vocant alicuius ſceleris, qui efficaci voluntate, motuq; ad illud concurrit, & maximè illum, qui illud imperat aliis, & executioni mandat, quod de Deo expreſſis verbis clarâ, & altâ voce, Cal-

vinus ex Cathedrâ ſuâ pronunciat, ſuisque ſcriptis paſſim inculcat. Cal. li. 1. inſtit. cap. 17. §. 11. ait: *diabolum nec conceptum malum moliri, nec ad perpetrãdum digitum mouere poſſe, niſi quantum ille permiſerit, imò niſi quantum ille mandarit*. li. 2. Inſt. cap. 4. § 2. *Idem ergo facinus Deo, Satanæ, homini aſſignari videmus non eſſe abſurdum*. Vt ergò diſtinctè loquamur, & cum Caluino, verbis Caluini, ſententiam illius ex ſui pectoris ſcrinio, ſuâque linguâ, & propriis characteribus exprimemus.

„ Deus omnis peccati, ſceleris, & fla-
„ gitii cauſa eſt, efficaci voluntate, mo-
„ tuque cum Satana, hominéq; impio,
„ concurrens, prima, principalis, & re-
„ mota: diabolus, & homo reprobus
„ cauſa ſecunda, inſtrumentalis, & pro-
„ pinqua. Habesne iam Caluiniſta quod excipias? aut de quo conquereris, quod Caluino aliena affingantur verba? Exſtat pars prima huius propoſitionis, imò totius diſtinctio, lib. de æternâ Dei prædeſt. edito anno 1552. in fol. pag. 946. vbi ait: *Ergo cum iuſtâ de*

cau-

causâ licet nobis ignotâ à Domino procedãt, quæ sceleratè ab hominibus maleficia perpetrantur; etiamsi rerum prima causa sit eius voluntas, peccati tamen eum esse authorem nego: hoc est, vt suprà exposuimus, qui proximè illud & instrumentaliter, propriis manibus, & membris, committat. Ideoque ibid. in eodem textu subiicit: *Nec verò obliuione tegenda est, quam posui, causarum diuersitas, quod alia est propinqua, alia autem remota causa, vt sciamus quam longa inter æquabilem Dei prouidentiam, & turbulentos hominum impetus sit distantia.* Idem patet ex illius instructione, quam edidit aduersus Libertinos cap. 14. *Magna*, inquit, *est differentia inter opus Dei, & opus impii, cum eo Deus vice instrumenti vtitur.* Et adhuc clariùs in instit. lib. 2. cap. 4. §. 5. *Longo tamen discrimine semper distat in eodem opere id quod agit Dominus, ab eo qnod Satan, & impii moliuntur. Ille mala instrumenta quæ sub manu habet, seruire iustitiæ suæ facit. Hi prout mali sunt, nequitiam ingenii prauitate conceptam effectu pariunt.* Vides quæ sit

operis vtriusque, Dei, & Diaboli differētia, nempe quod Deus illud principaliter, Diabolus instrumentaliter perficiat; vnde patet posterior propositionis pars: Diabolum, hominesque sceleſtos esse peccati causam secundā, instrumentalem, & propinquam, quæ prolixiùs in institutionibus deducitur, quas qui cautè & attentè legit, semper obseruabit flagitiorum, & scelerum Diabolū, & homines reprobos dici à Caluino *instrumenta, ministros, & executores*. Li. 2. inst. c. 4. §. 2. *Dicitur & Deus suo modo agere, quod Satan ipse, instrumentum cum sit iræ eius*. Et lib. 1. cap. 18. §. 1. *Colligimus eius probationis, cuius Satan, & scelesti latrones Ministri fuerunt, Deum esse authorem*. Et ibid. paulò antè: *Scimus Satanam se coram Deo sistere ad excipienda iussa, non minùs quam Angelos qui sponte obediunt*. Et ibid. infrà sic concludit: *Ergo quidquid agitent homines, vel Satan ipse, Deus tamen clauum tenet, vt ad exequenda sua iudicia conuertat eorum conatus*.

Ex

Ex his iudicet Lector annon eiusdẽ cum Diabolo, & malignis hominib. culpæ socium faciat, & principalem authorem, Deum: imò ille seipse ab hoc crimine expedire aliter non potest, quam dicendo: *quomodò Deus in opere communi ab omni culpa sit immunis, ministros autem suos damnet, vix capit sensus carnis.* ib. §. 1. Ac alibi lib. de æterna Dei prædest. f. 917. vult esse *mysterium.*

Zuinglius tamen magis Germanicè, & nihil circuitione vsus, rotundè proclamat Deum peccati & iniustitiæ authorem. in serm. de pœnit. cap. 5. *Numen,* inquit, *ipsum author est eius, quod nobis est iniustitia.* Et cap. 6. *Quod Deus operatur per hominem, homini vitio vertitur, non etiam Deo.* Et infra: *vnum igitur atque idem facinus, puta adulterium, aut homicidium, quantum Dei est authoris, motoris, impulsoris opus, crimen non est, quantum autem hominis, crimen ac scelus est.* Caluinianum Mysterium, quod vix capit sensus carnis.

Porrò vt principalia aliquot CALVINIANAE DOCTRINAE capita perlustrem⁹, quęnā sint, & qualia, nouane, an verò antiqua; hæretica, an verò sanctis Catholicis patribus congrua, nemo de iis locupletius, atque euidentius ferre potest testimonium, iudiciumque, authore CALVINO ipso. Sic ergo paucis habe.

1. Non licere laicis in necessitatis casu sacramentum baptismi administrare. Cal. lib. 4. c. 15. §. 20. *Quod à multis ab hinc sæculis, adeoque ab ipso ferè Ecclesiæ exordio, vsu receptum fuit, vt in periculo mortis laici baptizarent, si minister in tempore non adesset, non video quàm firmâ ratione defendi queat. Ne ipsis quidem* veteribus *qui hunc morem vel tenebant, vel patiebantur, constabat, an rectè id fieret. At periculum est, ne is qui ægrotat, si absque baptismo decesserit, regenerationis gratiâ priuetur. Minimè verò.*

At S. Augustinus lib. 3. de Anim. & eius orig. c. 9. *Noli, ait, credere, noli dicere, noli docere, infantes, antequam baptizentur, morte præuentos, peruenire posse*

ad

ad originalium peccatorum indulgentiam, si vis esse Catholicus. Et epist. 28. ad Hieron. *Quisquis dixerit quod in Christo viuificabuntur etiam paruuli, qui sine sacramenti eius participatione de vita exeunt, hic profectò totam condemnat Ecclesiam.* Quapropter inquit Sanctus Hieronymus in dial. cont. Lucif. *Baptizare, si necessitas cogat, scimus etiam licere laicis.*

Caluinus non est Catholicus.

totam condemnat Ecclesiam.

11. Nullum esse in Ecclesia visibile, externum, & propitiatorium sacrificiū. lib. 4. cap. 18. §. 11. *sed quia* veteres *quoque video aliò hanc momoriam detorsisse, quam institutioni Domini conueniebat, &c. excusari posse non arbitror, quin aliquid in actionis modo peccauerint. Imitati sunt enim propius iudaicum sacrificandi morem, quam aut ordinauerat Christus, aut Euangelii ratio ferebat.* S. Athanas. in serm. de defunctis: *Incruentæ hostiæ oblatio, propitiatio est.* S. Basil. in Liturg. in initio: *Dignos efficito nos, qui puro corde stemus coram te, tibique ministremus, & offeramus sacrificium hoc reuerendum ad abolenda delicta, & pro piaculo populi tui.* S. Cyrill. catech. 5. Mystag. *Christum*

pro nostris peccatis mactatum offerimus, vt & nobis, & illis eum, qui est benignissimus, propitium reddamus. S. Chrysost. l. 6. de Sacerdotio: *Sacerdos pro vniuerso orbe terrarũ legatus intercedit, deprecatorque est apud Deũ, vt hominum omnium, nõ viuentium modò, sed etiam defunctorum, peccatis propitius fiat.* S. Aug. Epist. 23. dicit: Christum semel in cruce immolatum, omni die in sacramẽto pro populis immolari. Et lib. 20. de Ciu. Dei c. 25. scribit sacrificiũ pro peccato offerri in Ecclesia, vsq; ad diem iudicii.

III. Christum Mediatorem esse secundum naturam vtramq;, & non humanam tantùm. l. 2. c. 14. §. 3. *Atq; hic excusari non potest* veterum *error, qui dum ad Mediatoris personam non attendunt, totius ferè doctrinæ, quæ in Euangelio Iohannis legitur, genuinum obscurant sensum, seque implicant multis laqueis.*

Docent enim Sancti Patres Christum θεάνθρωπον Mediatorem esse, sed secundum eam naturam tantum, secundum quam mereri, & satisfacere potuit; ieiunio, precibus, passione, & mor-

morte. Cyrillus in Apol. pro 12 capp. contr. Orient. *Quando factus est homo, vocatus est Pontifex.* Et infra: *Audiens quod Sacerdos dictus est propter humanitatem, erubescisne?* Et l. 11. in Ioh. cap. 7. *In quantum Deus est, vnà cum patre nobis bona largitur, in quantum verò Mediator, & Pontifex, nostras preces ad patrem adducit.* Fulgent. lib. de Incarnat. & grat. Christi, cap. 13. *Hic in humanâ naturâ Mediator Dei & hominum factus est.* August. passim tract. 82. in Iohan. *Mediator Dei & hominum, non in quantum Deus, sed in quantum homo est* IESVS *Christus.* Et l. 10. Conf. c. 43. *In quantum homo, in tantū Mediator, in quantum autem verbum, non medius, sed æqualis Deo.* Et l. 2. de pecc. orig. c. 28. *Nō per hoc mediator est, quod æqualis patri, per hoc enim quantum pater, tantum & ipse à nobis distat: Et quomodò erit medietas, vbi eadem distantia est? Ideò Apostolus non ait Christus* IESVS, *sed homo Christus* IESVS*? Per hoc ergo Mediator, per quod homo, inferior patre, per quod nobis propinquior.*

Non

IV. Non esse liberum arbitrium, aut seruum esse, quod voluit Lutherus, ac instar trunci & stipitis, tum etiam quando Dei gratiâ excitatur. lib. 2. c. 2. §. 4. *Semper apud Latinos nomen liberi arbitrii extitit, apud Græcos verò αὐτεξούσιος vocabulum multò arrogantius.* & ib. §. 8. *Magno,* ait, *censeo Ecclesiæ bono futurum, si aboleatur, neque ipse vsurpare velim, & alios si me consulant, abstinere optarem.* Ibid. sic loquitur: *Porrò tametsi Græci præ aliis, atque inter eos singulariter Chrysostomus in extollendâ humanæ voluntatis facultate modum excesserunt,* veteres *tamen omnes, excepto Augustino, sic in hac re aut variant, aut vacillant, aut perplexè loquuntur, vt certi ferè nihil ex eorũ scriptis referre liceat.* Posteà, quẽ vnicũ exceperat, reprehendit etiam S. Augustini sententiã ex epist. 106. *volũtatẽ nostram cooperari gratiæ, non vt præuiam, sed vt pedissequam,* c. 3. §. 7. Ac tãdẽ pergit maledictis inseq. S. Chrysost. *Ideò,* dicens, *non rectè à Chrysostomo scriptum est; nec gratiam sine voluntate, nec voluntatem sine gratiâ posse quicquam opera-*

perari. ib. Et infra §. 10. *Illud ergo toties à Chrysostomo repetitum, repudiari necesse est: Quem trahit volentem.* Et l. 3. ca. 11. §. 15. *Ac ne quidem Augustini sententia per omnia recipienda est, qui gratiam ad sanctificationem refert,* &c.

Concupiscentiam originalem etiã post remissionem, & baptismatis ablutionem, formaliter esse, & manere peccatum. lib. 3. cap. 3. §. 10. *Ab vno Augustino,* inquit, *sumant lectores, si quid de sensu* antiquitatis *habere certi volunt. Porrò inter illum, & nos hoc discriminis videri potest, quod ipse morbum concupiscentiæ peccatum vocare non audet, sed ad illum designandum, infirmitatis nomine cõtentus, tunc demum fieri peccatum docet, vbi vel opus, vel consensus ad conceptionẽ, vel apprehensionẽ accedit: hoc est, quando primæ appetitioni cedit voluntas, nos autem illud ipsum pro peccato habemus.* V.

Doctrinam de fidei, bonorumque operum meritis esse erroneam. lib. 3. c. 15. §. 2. *Vsi sunt fateor passim* vetusti *Ecclesiæ scriptores, atque vtinam voculâ vnius abusu, erroris materiam posteris non* VI.

præ-

præbuissent. Quorsum obsecro opus fuit inuehi nomen meriti? quantum autem ipsum offensionis in se contineat, magno cum detrimento orbis patet.

VII. Nihil inesse piis & sanctis iustitiæ. l. 3. cap. 11. §. 15. *Scholæ in deterius aberrauerunt, donec tandem præcipiti ruinâ deuolutæ sunt ad quēdam Pelagianismum. Ac nec Augustini quidem sententia vel saltem loquendi ratio per omnia recipienda est, tametsi egregiè hominem omni iustitiæ laude spoliat, ac totam Dei gratiæ adscribit.* Sententiæ suæ contra SS. Patres Caluinus hæc supponit fundamenta. I. Quod pii non possint vllum edere opus bonum. Lex enim Dei, inquit, quæ bona opera præcipit, impossibilis est. lib. 2. cap. 7. §. 5. *Quod autem impossibilem legis obseruationem diximus, paucis id est explicandum, & confirmandum: solet enim vulgo absurdissima sententia videri, vt Hieronymus non dubitarit Anathema illi denunciare. Quid visum sit Hieronymo, nihil moror, &c.* Atq; ita omnes lancinat SS. Patres. S. Basil. orat. in illud: *Atten-*

deti.

de tibi: Impium, ait, *est dicere impossibilia esse spiritus præcepta.* S. Chrysost. hom. 8. de pæn. *Nequaquam Dominum accuses, haud mandat impossibilia.* S. August. lib. de Nat. & grat. cap. 43. *Non igitur Deus impossibilia iubet, sed iubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* II. Omnia etiam iustorum opera esse inquinamenta, & sordes, peccata, iniquitatem, damnabilia. lib. 3. inst. cap. 12. § 4. *Omnia hominum opera nihil sunt, nisi inquinamenta, & sordes, & quæ iustitia vulgo habetur, ea apud Deum mera est iniquitas.* Et cap. 14. §. 9. *Habemus ne vnum à Sanctis exire opus, quod si in se censeatur, non mereatur iustam opprobrii mercedem.* Et §. 11. *Duobus his fortiter insistendum nullum vnquam extitisse pii hominis opus, quod si seuero Dei iudicio examinetur, non esset damnabile.*

Nullam requiri piorum confitentium in pœnitentiâ satisfactionem li. 3. cap. 4. §. 38. *Parum me mouet, quæ in veterum scriptis de satisfactione passim* VIII.

occur-

Caluinus solus sapit. *occurrunt. Video omnes dicam simpliciter, quorum libri extant, aut hac in parte lapsos esse, aut nimis asperè ac durè locutos.*

IX. De Ecclesiastica pœnâ pœnitentib. imponenda. lib. 4. cap. 12. §. 8. *Excusari nullo modo potest immodica* veterum *austeritas, quæ prorsus à Dei præscripto dissidebat, & erat mirum in modum periculosa.* Vbi simul declarat Cyprianum *non sponte fuisse tam rigidum, Sanctum Chrysostomum duriorem.* Sanctum Hieronymum verò mendacii, & imposturæ arguit lib. 4. cap. 19. §. 17. *quod ementitum sacramentum isto ornarit elogio: secũdam tabulam esse post naufragium. Sed dictum est Hieronymi: cuiuscunque sit, quin planè impium sit, excusari nequit.*

X. De cœlibatu similiter sententiam S. Hieronymi perstringit, lib. 4. c. 12. §. 24. *Hostes nostri obiecto* antiquitatis *nomine coniugium in sacerdotibus infamant. Quantum ad Patres attinet, neque ipsi, excepto Hieronymo, tantâ malignitate coniugii honestati obtrectarunt.* Sed nõ est Hieroymus solus, sed cum illo vniuersus SS. Patrum chorus. Ambros.

in

in 1. Tim. 3. *Si plebeis hominibus, orationis causâ ad tempus se abstinere præcipit Paulus, quantò magis Leuitis, & sacerdotibus, quos die, noctuque pro plebe sibi commissâ oportet orare, mundiores cæteris esse debent, quia actores Dei sunt.* Nihil ab hoc alienũ dicit S. Hieron. in comm. c. 1. ad Tit. *Si Laicis imperatur, vt propter orationem abstineant se ab vxorum coitu, quid de Episcopo sentiendum est, qui quotidie pro suis populique peccatis illibatas Deo oblaturus est victimas.*

Non esse pro mortuis orandum. li. 3. cap. 5. §. 10. *Quum ergo mihi obiiciunt Aduersarii ante mille & trecentos annos vsu receptum fuisse, vt precationes fieret pro defunctis,* hoc ita soluit: *Abrepti fateor in errorem fuerunt, nempe vt inconsiderata credulitas priuare iudicio solet hominum mentes. Monicam matrem suam in libris Confessionum Augustinus narrat, vehementer rogasse, vt sui memoria in peragendis mysteriis fieret ad altare. Anile scilicet votum, quod filius non exegit ad normam scripturæ, sed pro naturæ affectu probari aliis voluit. Liber autem de curâ pro mortuis* XI.

agendâ, tot hæsitationes continet, vt suo frigore meritò debeat stulti zeli calorem exstinguere, si quis mortuorum patronus esse appetat.

XII. Limbum à SS. Patribus esse effictum. l. 2. cap. 16. §. 9. *De loco subterraneo cui posteritas affinxit nomen Limbi, fabula est, tametsi magnos authores habet, nihil tamen quàm fabula est.* Sic enim vocat SS. Patres: at reliquos Doctores scholasticos solùm Sophistas appellat.

quanta impudentia

XIII. De Quadragesimâ nihil verecundiùs loquitur lib. 4. c. 12. §. 19. & 20. *Qua in parte non in totum excusare audeo* veteres, *quin & superstitionis quædam semina iecerint, & occasionem præbuerint tyrannidi. Occurrunt quidem interdum sanæ, ac prudentes de ieiunio sententiæ: sed postea occurrunt subinde immodicæ ieiunii laudes, quæ ipsum inter præcipuas virtutes extollunt. Et tunc passim inualuerat superstitiosa Quadragesimæ obseruatio.*

nota d. lege [illegible]

Caluinus non ponit ieiunium inter præcipuas virtutes.

Sed mirum non est cælibatum, ieiunia, totúmque Quadragesimæ tempus Caluino non placuisse. Sunt id genus

genus hominum plures. Sanctus Ambrosius serm. 34. *Quisquis Christianus ieiunando non impleuerit Quadragesimam, præuaricationis, & contumaciæ reus tenebitur.* Sanctus Hieronymus ad Marcellam aduersus errores Montani: (& Caluini) *Nos vnam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum, tempore nobis congruo, ieiunamus.* Sanctus Augustinus serm. 62. de tempore: *Aliis diebus ieiunare remedium est, aut præmium: in Quadragesimâ non ieiunare peccatum est.* *Non est Christianus.*

Hoc ordine, si quis vniuersam Caluinianæ doctrinæ summam velit pertexere, facilè posset, sed illi non vnico capite, sed integro opus esset opusculo. Sufficit hîc aliquam eius delineationem appinxisse, ex quâ prudens lector videat, Doctrina Caluini, sitne vetus, an noua? Sanctis Catholicis patribus consonans, an verò hæretica.

De Placitis, & Traditionibus quibusdam Caluinianis.

Hæc eius generis sunt, vt neque

in ſcriptutis, neque in S S. Patribus, vel vllis antiquis Eccleſiæ annalibus, hiſtoriisue exſtent; magnâ tamen à vulgo Doctorculorum inter Caluiniſtas reuerentiâ ſuſcipiantur, ac doceantur: ideoque *Caluini placita*, & *Caluiniſtarum Traditiones* nominantur. Vnicam atque alteram delibabimus.

I. *Pontificem, & Epiſcopum Romanum eſſe Antichriſtum.* Cal.l.4.inſt.c.2.§.12.& paſſim. Sic omnes eius ſatellites, & diſcipuli, qui tamen inter ſe contendũt, an inter Caluini traditiones, an verò inter fidei articulos referri debeat: priorem ſequitur ſententiam Arminius; poſteriorem Pouellus, & vniuerſa Caluiniſtica turba.

II. Catholicæ Eccleſiæ doctrina qualis ſit: *Quaſi verò dubium ſit*, inquit, *qualẽ Religionis ſpeciem profeſſi ſunt iam pridem Pontifices, cum toto Cardinalium collegio, & hodie profiteantur. Primum enim arcanæ illius Theologiæ, quæ inter eos regnat, caput eſt: Nullum eſſe Deum: Alterum, quæcunque de Chriſto ſcripta ſunt, ac docẽtur, mendacia eſſe, & impoſturas: Tertium,* *doctri-*

doctrinam de futurâ vitâ, & vltimâ resurrectione meras esse fabulas. lib. 4. inst. c. 7. §. 27.

S. Petrum Apostolum Romæ mortuum esse, sed non ibidem fuisse Episcopum. Quid ergo Piscatorem? l. 4. c. 6. §. 15. Hic tacitè innuit Petrum Apostolum deseruisse Romæ suum Episcopatum, & ad commercia vitæ prioris rediisse, templum cũ foro piscatorio mutasse. III.

Cœnobia esse lupanaria, in quibus Monachi non aliter, quam porci in haris saginentur. l. 4. cap. 13. §. 15. IV.

Discessionem facere ab Ecclesiâ, qui in cœnobia concedunt. ibid. §. 14. *suisque votis non Deo, sed dæmonio se consecrare.* ib. §. 15. V.

Paulum III. Papam moriturum, dixisse: se iam experturum veritatem trium quæstionum, de quibus in totâ vitâ dubitasset: 1. an animæ immortales, 2. an infernus sit, 3. an Deus. Pareus in expos. Catech. Vrsini, quæst. 57. VI.

Hermannum Papistam comparare S. Scripturam, citra Ecclesiæ approbationem, cum fabulis AEsopi. Pareus in disput. VII.

 de

de ſcript. qui hanc deſcripſit ex VVhitakero, & hic ex Heshuſio.

Cum his coniungi poſſunt pro doctrinæ Caluinianæ confirmatione, *Reuelationes*, & *ſomnia* Zuinglii in lib. de ſubſ. *Apparitiones Angelicæ* factæ Caſp. Oleuiano, vt memorat Piſcator; itemque factæ Chryneo, in itinere Spirenſi, vt pro cõcione audiui narrari à Sculteto. *Miracula* Franciſci Iunii, qui certis herbarum foliis vlcera; itemq; pedum, vel digitorum vulnera ex frigore vel gelu contracta, ſanare poterat. in ipſius vita. *Apocalypſis*, & *Prophetia* Iohannis Piſcatoris, Pſeudotheologi, quæ poſt obitum demum lucem videbit, quia mala omina vaticinatur Domui Auſtriacæ, & quibusdam Catholicis Principibus. Ac poſtremò Platonicæ Concionum *Ideæ* Sculteti, qui imperito vulgo pro MEDVLLA PATRVM vendit putridum inſani ſui capitis cerebrum: vix videas eſſe emedullata oſſa, aut caſſa putamina, nedũ Doctrinæ nucleum. Certè ſunt ſua ipſius excrementa, & non *Medulla Patrum.*

CAP. VI.

De Caluinistarum inter se dissidiis, & contentionibus: itemq; nouis aliquot exinde distinctis sectis.

PRoximum à Doctrinâ Caluinistarũ caput est, vt eorum lites, & dissensiones mutuas expediamus. Ne tamen confusè de confusis & intricatis, tot, tantisque, ac tam grauibus dissidiis, & mutuis altercationibus loquamur, nosq; ipsi confundamus, ordine quodam progrediemur. *Deus non est dissensionis, sed pacis Deus. 1. Cor. 14.*

I. De Dissidiis Caluinistarum Anglorum inter se.

Leuis est, quicunq; leuẽ esse existimat dissensionem Puritanorum cum Anglo-Caluinistis, quos Puritani Anglo-papistas nominant, nec tantum in externis ritibus est, & cæremoniis, quas infra c. 9. depingemus: Verum in quibusdam doctrinæ punctis; vel iis, quæ circa eius praxin præscribuntur. Puritani nolunt in Ecclesia vllos esse officiorum, & dignitatum ordines: Anglo-Caluiniani contra. 2. Episcopa-

lem ordinem non modò distinctum, sed etiã iure diuino superiorem presbyterio, Oxoniæ in publicâ & solenni pro gradu, tituloque Doctorali, disputatione affirmari in thesibus vidi, & audiui, quod Puritani cum omnibus reliquis Caluinistis simpliciter negãt. 3. Anglo-Caluiniani non modo honorant Christi trophæum, in quo mũdi facta est reparatio, CRVCEM, sed etiam eius signum sacramentis, & inprimis baptismo adhibent: Puritani, & cæteri omnes Caluinistæ ad crucis signum tremiscunt, & horrent; ideoq; vbique demoliuntur.

II. De dissidiis Anglorum cum Hugonottis, id est, Caluinistis in Gallia.

ACris fuit quondam in scriptis agitata controuersia inter Anglos, & Hugonottas, aliosque sine ordinibus circumuagantes Caluinistas in Germania: Anglis contendentibus; Non obstante Reformationis necessitate, continuam debere in Ecclesia

Episcoporum, ac pastorum ordinationem, successionemque, absque vllâ interruptione seruari, cum ex conscientiâ vniuscuiusque satis constet, neminem ad hanc Ecclesiæ reformationem diuinitùs instar Apostolorum, extraordinariè & immediatè vocatũ: ac proinde legitimam pastorum ordinationem, & catenatam quandam Episcoporum successionem necessariò retinendam.

Videte prudentiam, vel potiùs astutiam Anglorum, qui volebant Germanos, & Gallos mare transfretare, & primas ordinationes Prædicantium, ab ipsorum Episcopis petere, (sicut Hussitas à Romana Ecclesia, ad tempora vsque Lutheri hoc obseruasse constat) suamque Ecclesiam REFORMATARVM MATREM constituere, vti adhuc hodie illam in publicis dictis & scriptis CATHOLICAM-ANGLICAM nominant. Huius rei magnam sibi spem fecerant, inprimis cum Euangelici Protestantes paulò ante à Ieremia Patriarcha Constanti-

nopolitano, ſub cuius alas, & patrocinium profugere volebant, cum anathematiſmo, turpiter repulſam tuliſſent. Verum conſilium Anglorũ Hugonottis non placuit, imo adeò diſplicuit, vt illorum importunitatẽ Antonius Sadeel, Gallus, Satyrico & inuectiuo libello retunderet. Legant illum Caluiniſtæ; Titulus illi eſt: *De Legitimâ vocatione Paſtorum Eccleſiæ Reformatæ.*

III. De diſſidiis Gallorum cum Piſcatorianis in Germania.

Ante annos ſex, pluresue, Hugonottæ in Gallia, Iohãnis Piſcatoris, de quo infra, mõſtroſas opiniones, & Caluini doctrinæ, ac ſpiritui contrarias, longo examine ſcrutati, hęreſes eſſe affirmarunt, & cõmuni decreto PiſcatorẽHęreticũ publicâ ſentẽtiâ, & anathemate condemnandum concluſerũt. Quo nuncio accepto Illuſtris Dominus IOHANNES ſenior, p. m. Comes à Naſſaw, in Dillẽberg, attonitus tam probroſâ in ſe, ſuosq́;, ſententiâ, legatione mittit Heidelbergam ad Facultatem

Theologicam, Doctorem Crociũ, & Matthiã Martinium Theologos, anno 1604. mediâ hyeme, mense Febr. vt Piscatoris causa examinetur. Legati impetrauere quidem ab Heidelbergensibus excommunicati Pisc. ab Anathematismo absolutionem, sed opinionum, ac Hæresum approbationem obtinere non potuerunt.

IV. De dissidiis Caluinistarum in Germania, ac quidem trium istarum Academiarum.

Heidelbergensis, Basileensis, & Marpurgensis.

Prodiit nuper fidei articulus ex schola Piscatoris de FRACTIONE PANIS in cœna, circa quem grauiter paucis ab hinc annis disceptatum fuit in tribus Caluinistarum dictis Academiis. Basiliensis, & Marpurgensis extremè colluctantur: Heidelbergensis sese Arbitram interponit, reprehendit vtramque, ac mediam inter illas sententiam statuit. Marpurgenses vrgent in templis suis fractionem panis, *vid. Aphoris. Pisc. de Cæna Domini Aph. 6.*

&

& cæremoniam essentialem esse clamitant, sine quâ dominica cœna non est cœna, vt quoties panis in cœna nõ frangitur, toties sacramentum non sit celebratum. Basilienses rident Piscatoris, & Marpurgensium nugas, & asserunt istam fractionem prorsus non esse cœnæ essentialem, imò ne quidẽ ritum eius necessarium, sed ἀδιάφορον: ideoq; in suis Ecclesiis, vt oppositum teneant, panem in cœna non frangũt. Heidelbergenses aiunt falsò dici cæremoniam illam esse essentialẽ; falsò item dici, esse adiaphoron: sed omninò esse necessariam, & non ad ritus sacramentalis essentiam, sed integritatem pertinere. Ita hanc controuersiam resoluit Pareus, qui hodie vult esse Caluinistarum Dux, & Coriphæus, vti illã ex ore publicè dictantis adscripsi.

V. De dissidiis Academiæ Heidelbergensis, cum Ministris, vel Prædicantibus Palatinis.

PAucis ab hinc annis, sub meum aduentum, decurrente anno 1603. ad Aca-

Academiam Heidelbergenſem, Prædicantes Palatini conſpirarunt in nouam doctrinæ formulam, contra Academiã Heidelb. ſimiliter in negotio de ſacramento cœnæ, paucisque locis aliis. Sententiæ, & argumentorum hæc ferè ſumma eſt. Communè, & hactenus vſu potius, quam veritate receptum, tritumq; dogma, de vera & reali corporis Chriſti communione, & præſentià, quod Academici Doctores noſtri in ſcholis tradunt, atque defendunt, licet fidei ſolius medio, & inſtrumento, non modò periculoſum, eſt, ſed planè etiam falſum. Nobis itaque (& Zuinglii * ſpiritui) viſum eſt, certas conſcribere concionandi formulas, & phraſes, quibus in poſterum ſit vtendum, & quibus voculis, & terminis abſtinendum, vt falsò hactenus tradita corporis præſentia, quæ tantum in cœlis eſt, à cœnâ exterminetur. Multas adferunt ſententiæ ſuæ rationes, & argumenta, quibus hoc cõcludunt, adduntq; ſub finẽ, ſententiæ prioris de fidei præſentia authorem, eum-

* albusne ſit, an ater ignoratur.

eumque in agone mortis desperatè super illa multis præsentibus conquestũ, ac protestatũ fuisse, se pacis, & cõcordiæ cũ Lutheranis gratiâ, rem falsam docuisse. Sed operæ pretium est adscribere formalia ipsorum hac in re verba: Rationum quas adferunt sexta hæc est: *Quia Phrases istæ displicuerunt inuentoribus ipsis. Nam Bucerus princeps, & author concordiæ VVitembergensis, ad Petrum Mart. in Anglia, paulò ante quam moreretur, testatus est, se pœnas dare impudentiæ, quod homo priuatus causam publicam, & tot praua dogmata voluerit conciliare. Audiuerunt hoc ex ore Martyris Bullingerus, & Simlerus: Audiuit hoc ex ore Bullingeri Daniel Tossanus, Ex hoc, anno 1592. die 20. Nouemb.* * *Grunradius, Pezelius, & alii.*

* *Heildelberga Senatus Ecclesiastici Præses, vir nobilis.*

Ratio septima: *Quia phrases sunt periculosissimæ. Ideò Vrsinus p. m. solitùs est dicere: Vtinam nunquam auditum esset vocabulum præsentiæ in hoc negotio.* Hanc rem prædicantes clam admodùm egerunt, & communi omnium ministrorum per palatinatum consensu,

consilio, & operâ imprimi sub silentio mandarunt. Cum monstrum iam in lucem ederetur, grauiter tumultuantur Doctores Academici, Prædicantes coram Senatu Ecclesiastico accusant, erroris damnant, & impressos libellos ad vnum omnes supprimi, & igne comburi postulant. Author huius tragœdiæ primarius fuit M. Abrahamus Scultetus; nam ille omnium primus subscripsit, & post illum Bartholomæus Pitiscus, concionator aulicus, & suo quisque ordine reliqui. Dissensiones verò doctorum Academiarum inter se, sicut & inter se Prædicantium, priuatæ, plures sunt, quam in cœlo stellæ, in fidei articulis, in scripturæ expositionibus, in propriis dictis, & scriptis, vt certâ quadam definitione, & numero comprehendi nõ possint. Intereà tamen difficile non erit Caluinistas ob tantas, tamq; acres inter se dissensiones, & rixas, in certos distribuere ordines, & familias, vt reuerà suorum Magistrorum nomini-

inter superbos semper iurgia sunt. Prou. 30.

minibus, doctrinâ, & locorum habitationibus distincti sunt, ac tres conficiunt diuersas, & fundamentaliter inter se plusquam Lutherani cum Caluinistis, dissidentes sectas. Prima est eorum, qui Caluinum ad amussim sequuntur, suæque Ecclesiæ Reformatorem colunt: & huc pertinent Caluinistæ in Palatinatu, Hugonottæ in Gallia, Puritani, & Anglo-Caluinistæ in Anglia, & Scotia, plerique Belgæ: imò ipsi Zuingliani in Heluetia. Secunda est Piscatorianorum: Tertia Arminianorum, de quibus in progressu.

CAP. VII.

De Piscatorianis, qui, & vbi?

CApite superiori dictum fuit Hugonottas Piscatorianos hæreseos damnasse, atque anathematis fulmine proscripsisse; neque etiam Palatinos illorum opiniones, tanquam in fundamentis errores, approbare voluisse. Anglorum etiam scrutatus

Can-

Cantabrigiæ de Piſcatore iudicium; Hæreticum eſſe, & hominem naſutũ, reſponſum tuli. Viſum ergo fuit, nouũ hunc Hæreſiarcham, eiusque opiniones, ac denique ſuæ ſectæ complices, & in quæ Germaniæ loca diffuſi ſunt, breuiter indicare. Author eſt IOHANNES PISCATOR; Argentinenſis, Artium Magiſter, & Theologiæ Caluinianæ in illuſtri Gymnaſio Herbornenſi Profeſſor, homo aſpectu ſimplex, & geſtibus humilis, mente verò, & ſpiritu ita elatus, & turgidus, vt omnes ſui ordinis Doctores deſpiciat, & nõ modò ipſorum ſingulorum, ſed etiam vniuerſarũ Academiarum authoritatẽ ſuo poſtponat iudicio, auſitq; publicè dicere: *ſibi plus cæteris omnibus diuinitus eſſe concreditum*, item: *ſe habere exercitatos in ſcripturis ſenſus.* *in præfat. ſuorum bibl.* Vix aliquis credat, quam ſit homo ſuperſtitione plenus, qui vt cæteros Caluiniſtas meritò ſuperet, etiam *Scholarum Reformationem* excogitauit; exque iis omnes bonos Authores gentiles: *Ciceronem, Terentium, Saluſtium, Horatium, Virgilium,* &

um, & id genus omnes, relegauit & ex versib. quos studiosa iuuentus ibi quãdoq; scribebat, semper liturâ obduxit vocabula, quæ maximè sũt poetica; vt *Ceres, Bacchus, Mars, Diana, Phœbus*, &c. Tandẽ etiam astrorum, dierum & planetarum nomina reformare, & pro illis Christiana substituere conatus est: Sed hic illi aqua hæsit. Hunc integro biennio, cũ anni demidio, præceptorẽ frequentaui, exq; ore illius apophthegmata aliquot, & elegantiores sententias publicè recitatas annotaui. Anno 1601. Præses disputationis de S. Scriptura, respondente Ioh. Damasceno Volxheimer Palatino, cũ opponentiũ aliquis contenderet libros Tobiæ, Sapientiæ, Ecclesiasticum, non posse ita cõtumeliosè ex corpore biblico, tanq̃ Apocryphos eliminari, Piscator scitè, & breuiter ex cathedrâ iudicialẽ sententiam pronunciat: Sie gehören zu der Bibel / wie ein Schwalben-nest zum Hauß. Quo oraculo factũ est, vt in posterum discipuli, qui Biblia coemerẽt sibi compingi illa curarent, eiectis &

euulsis è codice illis, quos Apocryphos prætendunt. Inter quos exempli loco Rectorem scholæ Duisbergensis, Conradi Vorstii, in Steinfurtensi Gymnasio Theologiæ Caluinianæ Professoris, fratrem nomino. Inspicite eius biblia, & risum teneatis amici. Paulò post cum particularis opinionis suæ, de iustificatione, disputationem haberet, illique opponeret Haloinus Gothofredus, Theologię Cal. Doctor, nunc prope Vitraiectũ in Belgio prædicans, authoritatem Clarissimi Doctoris Polani, Basileæ; & VVhitakeri Angli, Cantabrigiæ, Professorum, dissentium ab illo, indignabundè quærit: *quis ille Clarissimus Polanus? valeat*; Et mox subdit: *VVhitakerus negat, Piscator affirmat, contendant hi duo Heroës inter se.* *satis Imperiosè.*

Sed præstat in eius inquirere doctrinam, ac principaliores solùm recensere opiniones, quibus à cæterâ Caluinistarum gente dissentit.

I. Diuidit Christi iustitiam in eam, quam ex legis obedientiâ, vitæque

vide eius expos. Catech.

ſanctitate habet, & in eam, quam ex paſſione & morte acquiſiuit: quæ ideo in ſcholis Caluinianis, vbi refutatur *iuſtitia Actiua*, & *Paſſiua* nominari conſueuit. Iuſtitiam actiuam applicat ipſi Chriſto, nihilq́; ait aliis prodeſſe, cum Chriſtus illam pro ſe debuerit, vt filius Adæ, & Abrahæ, legi ſeruandæ obſtrictus. Paſſiuam applicat ſolis fidelibus, pro quibus Chriſtus tantùm mortuus eſt, illosque in iſtius iuſtitiæ per fidem apprehenſione, ſine omni infusâ, & inhærente iuſtitiâ, ipſorum propriâ, formaliter iuſtificari aſſerit. Breuiter duo dicit: 1. Chriſtum legis impletione, vitæq́; ſanctitate, nihil humano generi, promeruiſſe. 2. ſolâ autem paſſione & morte ſuâ promeruiſſe, & quidem non humano generi, ſed ſolis in illo fidelibus, vel prædeſtinatis. Nam diſtinctionem illam, quam Theologi generalibus iſtis ſcripturæ locis: (*vt gratiâ Dei pro omnibus guſtaret mortem.* Heb. 2. *Pro omnibus mortuus eſt Chriſtus* 2. Cor. 5. *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* 1. Tim. 2. &c. adhibent,

bent, exponendo *ſufficienter*, pro ſolis autem fidelibus *efficienter*, exſibilat, & ſibi refragantem textum Apoſtoli Iohan primæ epiſtolæ Catholicæ capite 2. *Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi*, ita eludit, id eſt non tantum pro fidelibus & electis ad quos ſcribebat, ſed & reliquis per vniuerſum terrarum orbem ſparſis. Cum tamen epiſtola ſit Catholica, id eſt ad omnes mundi fideles ſcripta. *in comm. in hunc loc. & in reſpons. ad obiect. Schaffmāni Lutherani.*

II. Docet Chriſtum ſibi etiam aliquid ſuâ paſſione, & morte meruiſſe, ex loco ad Philip. 2. atque in eo Catholicam ſequitur ſententiam contra Caluinum, omneſque illius aſſeclas; quem ex profeſſo, publicè de pulpito, & ex cathedrâ in hoc articulo ſuperciliosè ad calamum refutauit, ei⁹ textum, qui exſtat 2. inſtit. cap. 17. §. 6. *Quærere verò an ſibi ipſe meruerit, non minus ſtulta eſt curioſitas, quàm temeraria definitio, &c.* pri⁹ ſubſannando legens. Videte eius expoſit Catech. *II.*

III. Clamitat fractionem panis in *III.*

cœna

cœnâ Dominicâ esse cæremoniam essentialem, atque ita necessariam, vt quisquis illam omittit, cœnam nõ mutilet modò, sed etiam tollat. In Aph. de cœna. Aph. 6. Et in Expos. Catech.

IV. *In suis Aph. de lege Dei Aph. 17.* IV. Docet legem ciuilem Mosaicam quoad pœnarum genera non esse abolitam, sed sanctè seruandam. Atq; hinc valdè fuit agitata quæstio, in illustri Herbornensi scholà, & ipsius Comitis aulâ: An fures, quantumcunque furati sint, morte plecti debeant. Piscator disputando obtinuit, vt nullus in comitatu Nassouico, &c. fur suspendatur.

V. V. In omnibus fermè Theologiæ capitib. de peccato, de prędestinatione, de pœnitẽtiâ, de satisfactione Christi, &c. singulares habet sensus, terminos, & distinctiones alias à cæteris Caluinistis: ideoq; Catechismũ Heidelbergensem passim castigauit, inq; eius locũ nouas conscripsit Expositiones Catecheticas. Nec voluit tantum peculiarem suæ sectæ, & discipulis extare Catechismum, sed etiam propria Biblia,

iuxta ſuã verſionẽ, quæ ſola apud ipſos authentica ſunt, & ex quib. tantùm textus Euangelicus (ſicuti hoc meis vidi oculis religiosè ab illis ſeruari) pro cõcione, ex ſuggeſtu populo prælegi debeat. In his nouis Bibliis, nuper ex miniſtro Caluiniſtarum, Baſileâ Heidelbergam appellente, intellexi Amandũ Polanum cenſuram egiſſe, ac in ſolius Pentateuchi verſione aliquot centena vitia, & errata non typographi, ſed interpretis, annotaſſe. Quid de corpore reliquo ſentiendum proſpiciant puri Caluiniſtæ. Sequitur vt loca oſtendamus quæ Piſcatoriani ſuis prædicationibus, & habitationibus occupant. Totum Naſſouienſem comitatum incolũt, ac inde etiam in Haſſiam, itemque in Palatinatum, & loca quædam Germaniæ inferioris prorepſerunt.

CAP. VIII.

De Arminianis, qui & vbi?

ARminiani iam recens in lucem editi in Hollandia, patre IACOBO

ARMINO, quondam Amſtelrodamenſium prædicante Caluiniſtâ, nũc in Scholâ Lugdunenſi Batauorum, Theologiæ Profeſſore. Acris eſt inter illum, & ſuum collegam, Franciſc. Gomarum, de multis fundamentalibus dogmatis diſceptatio, tamque grauis, vt omnes eius loci Theologicæ facultatis ſtudioſi, in duo cornua diſſecti ſint, aliique Franc. Gomaro, tanquam veteri, & genuino Caluiniſtæ, adhæreſcãt, alii propter nouitatis ſtudium, & delectationem Hæreſiarchæ Arminio applaudant. Ordines Hollandiæ, intellectâ vtriusque contentione, exploraturi num Arminius adhuc baſin, & fundamentum Euangelicæ Reformationis teneat, diſputationem illi iniungunt de ANTICHRISTO, vt ex illà innoteſcat, quorſum hæc res vergat. Hãc omnium Hæreticorum more diligenter præſtitit, illique alteram paulò poſt ſubnexuit de CONCILIIS, ad quã ego fortuitò ex Anglia in Belgium illapſus, acceſſi, & ad opponendum à reſpondẽte VVilhelmo VVirt-

zæo, amicè inuitatus fui. Sed inermis, & libris omnibus destitutus, pridie petii mihi dari commodatò Caluinum, vt ex eius solius pronunciatis, & maximis aliquot, Præsidem cõstringerem, illiusq; in Caluinum affectum explorarem. At omnia mea argumenta præcîdit vnico illo ictu: *Nullum volo audire ex verbis Caluini argumentum, nihil mihi cum illo negocii, agat ille pro se.* Tandem moui argumenta quædam vulgaria, ad quæ ita feliciter respondit, vt post vices meas quidam ex Prædicantibus Lugdunensium assurgeret, mea argumenta repetens, iis minimè satisfactum diceret. Asserebat in thesibus suis: ius conuocandi concilia, iisq; præsidere, & post litigantium acta & propositiones, de quibuscunque fidei articulis, sententiam ferre decisiuam, & definitiuam, cui omnibus fidelibus obtemperandum esset, semper obtinuisse, & obtinere Imperatorem. Exinde hanc ego inferebam cõsequentiam: Ergo tibi in hac principali controuersiâ, an penes vos, an ve-

rò penes Pontificios ſit Dei Eccleſia, Imperatoris noſtri iudicio, & ſentẽtiâ ſtandum eſt; ſecus non modò rebellis es, & contumax, ſed ex propriâ confeſſione etiam infidelis. Hoc argumentũ riſu ſoluit. Et ego ſubriſi. Habitâ diſputatione ex Auditorio egrediuntes colloquuntur Gomarus, & Arminius, cui Gomarus: *Tu protuliſti quædam odioſa, quædã falſa:* ſicut ego à tergo, veſtigia illorum premens, cum vno, atq; altero VVeſalienſibus, ibi Theologiæ operã dantibus, audiuimus. Opiniones ſuas euulgare, & publico prodere ſcripto non vult, ſed cunctanter agit, ac priùs ſibi fauorabilia paſſim colligit prædicantium vota, quibus coràm, & in ſecreto illas cõmunicat, & commendat. Videte hominis aſtutiam, quæ fuit in omnibus Hæreſiarchis.

In his verò articulis ipſum à reliquis Caluiniſtarum turbis diſſentire audio, in materia de *libero arbitrio*, de *Prædeſtinatione*, de *Peccato*, in quibus nonnihil ad Catholicorum ſententiam accedere vi-

re videtur. Insuper ſuſpectus eſt ſapere aliquid *Samoſateni.* Nuper Harlemi repertus fuit nouus, ſine Typographi, & Authoris nomine, Catechiſmus, qui credebatur ex illius pharetrâ prodiiſſe. Sed exitus acta probabit.

CAP. IX.

De Eccleſiaſtico ſectæ Caluiniſticæ cultu, ritibus, & cæremoniis.

CALuiniſtarum doctrinam, quæ ſit, & quam varia, & diſcolor, leui bracchio attigimus, nunc etiam praxin, & religionis cultum, obiter aſpiciemus, in quo non minùs normam eius, quam Protheus faciem ſuam, immutare, & alii has, alii illas pro arbitrio, & libertate conſcientiæ, cæremonias nunc ordinare, nunc abrogare ſolent. Verum quidem eſt, quod antiqui patris Cypriani nomine circumfertur: *Diuerſitas cæremoniarum nō tollit vnionem Eccleſiæ.* Arguit tamen

eorum

eorum, qui neque in doctrinæ vnitate concordant, magnam vanitatem, effrenemq́; licentiam. Hæc autem maximè apparet in Sacramentorum, quæ ſunt quaſi verbum viſibile, adminiſtratione.

De Adminiſtratione Baptiſmi.

Primò nulla ferè habent baptiſteria, vel ſi qua à Catholicis habent, iis tamen non vtuntur, ſed aquali, vel tõſoriâ pelui. In Germania Catholicus mos trinâ aquę immerſione, vel aſperſione baptizandi reſeruatur. In Gallia variat, vnamque ſolum adhibent, non in capitis vertice, ſed fronte, vel facie. Imò Aureliæ me ſemel vidiſſe memini *Molineum* ſeniorem, ibi Miniſtrum, paulum aquæ in veſtẽ ſolùm infantis, quem baptizaret, inſperſiſſe. Quorſum ergo Catholici Caluiniſtis obiicitis, quod negent aliquam Sacramento, vel ipſi baptiſmatis aquæ vim, & virtutem ineſſe? Secundum Auguſtinum tract. 80. in Ioh. *Aqua corpus tangit, & cor abluit*: ſecundum Molineum:

um: Aqua veſtem tangit, & illam penetrans corpus abluit, & animam Dei promiſſione, de electione ad vitam æternam, obſignat. In Hollandia, iisq́; vicinis locis Miniſter baptizaturus formulam baptismi à Caluino præſcriptam, ex ſuggeſtu prælegit, aliusque miniſter, vel ſi non adeſt, ipſe deſcendens, infrà ſuggeſtum baptizat, quamuis in Gallia ſuggeſtus humilior ſit, vt ad illum infantes baptizandi eleuentur: Ratio hæc eſt: quia *verbum Dei in ſolo ſuggeſtu tractari, & proponi debet*. Hunc modum etiam obſeruant in benedictione Matrimonii. Porrò Anglo-Caluiniani etiam *crucis* ſignum, aliasque cæremonias à Catholicis acceptas, in baptizandi ritu religiosè adhibent.

quanta ſuperſtitio? ergo et verba conſecrationis in ſuggeſtu proferenda quale abſurdum

De cœna Domini celebratione.

Quemadmodum in ſacramentorũ adminiſtratione certa quædam inſtitutionis verba, tanquam Sacramenti forma, adhiberi ſolita ſunt, vt cum baptizatur, dicit Miniſter: *Abluo te in*

nomi-

nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. etſi Caluiniſta linguâ ſuâ vulgari: Sic etiam fieri ſolet in Sacramento Euchariſtiæ, aliis dicentibus: *Accipite, manducate, hoc eſt corpus meum*; aliis: *panis quem frangimus communio eſt corporis Chriſti.* Soli Geneuẽſes, qui dum cõmunicantibus ſymbola porrigũt, muti ſunt, nihilq; loquuntur, metuentes ne magicâ, vt aiunt, murmuratione panis fiat corpus, & caro Chriſti.

Geneuæ datur hoſtia, panis azymus, & figurâ rotundus; in cæteris omnib. locis Germaniæ, Galliæ, Angliæ, Belgii, &c. panis fermentatus, vulgaris, craſſus, & in lõgas partes diſſect⁹, quas poſtea cõmunicantibus frangunt, ad vltimã vſq; panis quaſi nũc indiuidui particulã, quam, tanq̃ inutilem, ſeorſim ab vſu ſeponũt. *Debet. n. panis in cænâ frangi.* Baſileæ tamen, & Heluetiæ locis, fractio hæc locum non habet.

In Germaniâ & Galliâ cõmunicãtes menſã circũire ſolent, vbi obſeruandũ quod in Gallia ſæpe ſutores, ſartores, aliiq; calones, quos Diaconos conſtituunt

tuunt, calicẽ in cõmunione exhibent. In Anglia verò, & Belgio mensam non circuire, sed illi assidere solent; cũ hac tamen differentiâ, quod in Belgii plerisq; locis strictim etiã duodenariꝰ numerꝰ cõmunicantium obseruetur, inter quos medius Minister Christi personã mimicè repræsẽtat. Quis verò illorum Iudã referat, ignoro. Habẽt hoc eius rei fundamentum: *Quo propiùs cæremonia primã Christi institutionẽ, & exẽplum accedit, eò purior est & sanctior*. Cur ergo etiã nõ de nocte communionem vestrã celebratis? Angli verò Puritani ad viginti vsq;, & plures, longæ admodum mensæ turmatim accumbunt, & ex tribus, vel quatuor in eâ positis scutellis, panis frustulis repletis, totidemque scyphis, Sacramentum suis ipsi manibus capiunt, ac histrionicum quoddam conuiuium, sicut in Comœdiis, & Tragœdiis fieri solet, exprimere videtur. Apud Anglo-Caluinianos verò neq; circũambulare, neq; etiam accũbere solent, sed contrà minister circumit atq; obãbulat, deferens vnicuiq;

Caluinus Judas

ad ſellam, vel ſedem ſuam ſacramenti tum panem, tum vinum; qui mos repræſentare debet in Miniſtro Medicum, qui pharmacum & medicamentum, ſicut & potionem, ægrotis, atq; infirmis ſolet apportare.

Quod *vaſa* attinet, adhibent in nõnullis locis magnos ſcyphos, vt in Germaniâ, in nonnullis argenteas pateras vel patinas, vt Aureliæ, in Galliis, in quibusdam vitra, vt Pariſiis: in Anglia à Puritanis vulgaria pocula propinantur, ab Anglo-Caluinianis verò calices.

Quod *cantum* attinet, *organa*, *veſtes*, &c. ita habe Solos Anglo-Caluinianos matutinas, & veſperas quotidiè more, & melodiâ Catholicorũ, ſicut & Lutheranorum Noribergenſium, &c. (quanquam hos latinâ, illos vulgari linguâ Anglicâ) canere: itemque organorum pulſu, & vocali Muſicâ ſymphonicè, ſatisque dulciter interſonare, cæteros omnes nunquam canere, niſi aliquem fortè pſalmum, ante, & poſt concionem; & quidem Hugonottas

nottas ordine à pſalmo primo ad ſecundum, à ſecundo ad tertium, & vltimum vsque, denuòque primum repetere, ſiue cantio illa concioni, loco, & tempori congruat, ſiue non; Organa item & figuralem Muſicam non adhibere, paucis in locis Belgii exceptis, vbi tamen ferè organa accommodant Mercatorum congregationibus, circa meridiem, & veſperam, quando in templis (tanquam *Burſis*) de ſuis tractāt, mercaturæ negotiis, & commerciis. Male hoc habuit Doctorem Pezelium, Bremæ Prædicantem, ideoq; author fuit eius loci Senatui, vt organa ex templis auferrentur, & in aliquē locum fori, vbi ciues conueniant, reponerentur. *Veſtes* ſacras vel religioſas in diuino cultu nullas adhibent: *Sanctorum feſta* nulla celebrant, exceptis tamen Anglo-Caluinianis. *Ieiunia* apud omnes nulla, niſi forſan apud miniſtros Geneuenſes, qui diem Iouis piſculentum fecerunt, quia *propter vicinum lacum*, Lemanum, piſcib. abundant: diem autem veneris carnium

vſui deſtinarunt, *propter libertatem conſcientiæ*. Quod verò diebus veneris, totoq; Quadrageſimæ tempore Angli carnibus abſtineant, non meretur tamen appellari ieiunium, quia non ſicut apud Catholicos, *religionis*, ſed *œconomiæ* causâ apud ipſos ſeruatur.

CAP. X.

De ſectæ Caluiniſticæ decremento, atq; interitu; deq; eius ſtatu in Gallia.

CErtè ſicut omnis hęreſis habet ſuã natiuitatem, adoleſcentiam, atq; ætatẽ ſtatam: ita eam tandem etiã ſenectus cõſequitur, & mors ipſa. Quoniam itaque Caluiniſticæ ſectæ hactenus ortum, progreſſumque omnium oculis expoſuimus; ita nunc quoq; de eius decremento, atq; interitu aliquid venit dicẽdum, vel potius diuinandũ.

Caluinus ipſe, vel ingenii ſagacitate, vel ſpiritus ſui reuelatione regni ſui ruinam, & diſſipationem, poſt pauxilli temporis defluxum, futurã præuidit, & prædixit, in præfatione Catechismi Geneuenſis, quem ad miniſtros ſuos in

Friſia

Frisia Orientali, misit. *De posteritate*, ait, *ego sic sum anxius, vt tamen vix cogitare audeam: nisi enim mirabiliter Deus è cælo succurrerit, videre mihi videor extremam barbariem impendêre orbi, atque vtinam non paulò post sentiant filii nostri fuisse hoc verum potius vaticinium, quam coniecturam.* Ego, cum non paucis aliis, Caluini hactenus filiis, tandem reuerà *sensi* patris *fuisse hoc verum potius vaticinium, quam coniecturam*; ideoque indubitatam eius impletionem, ac felices quotidiè successus, atque euentus paululum illustrabo.

A Galliâ exordior, in quâ, quemadmodum hæresis illa à Gallo omnium primò incepit, ita etiam in eâdem (claro *Augustanæ Confessionis* exemplo, quæ vbi nata est, omniumque primò in lucem edita, ibidem primò omnium articulatim moritur, & sepelitur) omnium primò, Deo fauente, desinet. Vnde verò spes illa nobis appareat, augurium nostrum indicabimus.

Laudabile, & prudens est consilium

quo HENRICVS IV. Dei gratiâ, Christianissimus Galliæ, & Nauarræ Rex, qui meritò insigniatur hoc elogio: MILES PACIFICVS, excogitauit egregia extirpandæ apud se hæreseos media, & quidem talia, quæ populum vniuersum non modò non offendunt,
1. sed etiam in timorem, & amorem regis sui conuertunt. *Primò* sanxit omnibus in nobilissimo suo regno, pro tempore, religionis immunitatem, potestatemque fecit ad diuinum eius cultum, suo loco, palàm & securè conueniendi: quo pacto publica totius regni, ac in eo Catholicæ Ecclesiæ, pax

Non omni regno, non omnibus omnia quadrant.

2 alitur, & Patriæ salus conseruatur. *Deinde* Hugonottæ Hæretici faciliùs de facie ad faciem cognoscuntur, ex nomine, ex familiâ, ex officio, ex opificio, exque omnibus ipsorum machinationibus, & consiliis. *Tertiò* hinc etiam
3 fit, vt tantò illustrior omnibus appareat, vtrorumque, & Catholicorum, & Hæreticorum, in fide, & vitâ, in doctrinâ, & moribus, discrepantia: ac inprimis quanta sit Hugonottarum

circa

circa religionis cultum, profanitas, absque omni reuerẽtiâ, mundicie, cæremoniis, ſine omni ordine, & lege, innoteſcit. *Quartò*, ne hæreticus Catholicum, æger, & contagioſus ſanum, atque firmum mutuâ conſuetudine clã inficeret peſtilentiali apoſtaſias vitio, foris, & eminùs extra vrbem, milliari vno, vel duobus permiſſus eſt Hugonottis congregationis, & conuenticuli locus; ſicut prouidâ Magiſtratus curâ, in rebuspubl. benè cõſtitutis, foris ſemper, & longè ab vrbe poſitum, leproſis, aliisque peſte, & contagioſâ quâdam lue affectis, ordonatum fuit domicilium. *Quintò*: Hac etiam ratione Rex Chriſtianiſſimus Hugonottarum vires, & potentiam, atque adeò illos ipſos in numerato habet, eòque facilius turbas Eccleſiæ dantibus, vel ſeditionem in regno excitantibus obuiam ire, frenumque rebellantibus iniicere poteſt. Ac *Vltimò* cum tantâ prudentiâ iure connumeretur etiam Regia iuſtitia, quâ ſtante Religionis libertate, & vtriſque; Catholicis &

Hæreticis, fidei immunitate concesſâ, cauetur, ne alter alterius inuolet, & interuertat poſſeſſiones, ſed ſuas, & à maioribus acceptas quisque teneat & ſartas tectas conſeruet. Quo edicto Hugonottæ propriâ ſibi fabricant foris templa, inſtar horreorum, quæ ad leuem ventum ruinam nutant, ex lutho, & viminibus, ſuperimpoſito graui tecto, conſtructa, absque omni formâ, vel ornatu; paucis iis locis, & oppidis exceptis; quæ iam antè, Catholicis expulſis, inuaſerunt.

Hugonottarum verò conuentus, & cõciliabula in vniuersâ Galliâ, Regno ampliſſimo, ſi quis curiosè noſſe expetat, ſciat plura non eſſe, quam ſexcenta, quadraginta quatuor, ſicuti eorum numerum, ex ſingulis eius prouinciis certum, & exploratum habeo: quarum vnaquæque totidem, & plura habet templa, ædesq; S. Catholicæ Eccleſiæ ſacras.

Et quid non de Galliâ mihi pollicerer in ruinam Hæreſeos? in quâ tot numerantur Eccleſiæ Catholicæ præſules,

ſules, & ſacerdotes, quatuordecim Archiepiſcopi: Centum & ſeptem Epiſcopi: Quingēti & quadraginta Abbates: Priorum numerus mihi non eſt certus: Vicies ſepties mille, & quadringenti Parochi. Deinde in quâ florent tredecim Academiæ omnes Catholicæ, præter eas, quæ vel vetuſtate collapſę nunc inſtaurantur, vt Lugdunenſis, & Maſſiliēſis quæ mercib. potiùs q̃ litteris hactenus floruerunt, vel nouæ à fundamentis eriguntur, vt Flexiana, & Aquenſis in Prouinciâ. Auenionēſis verò quæ Papæ eſt, & Dolana in Burgũdiâ quæ Catholici Regis, extra regnum computantur. Hugonottæ nullam habent Vniuerſitatem, ſed quatuor ſolũ in vniuerſo Regno Collegia, vel Gymnaſia: Vnum Montiſ-Peſſuli, vbi Catholicorum Academiæ adiuncti ſunt: ſecundum Nimauſi: tertium Montis-Albani: & quartum Salmurii. 27400.

Huc etiam facere videtur, quod bona pars Gallicæ Nobilitatis, viri illuſtres, & Chriſtianiſſimo Regi à cõſiliis

qui vt olim bellicam ſuam virtutem militiæ ſatis teſtatam fecerunt, nunc in hoc tranquillo pacis ſtatu, literarũ, & doctrinæ laudes ſibi captant, viriq; politici, vel laici Hugonottarum miniſtros, homines laicos admodũ glorioſè refutant, & non enſe, ſed calamo vincunt, occidunt, ſepeliunt.

Regis ad exemplum totus componitur orbis.

Quid verò mihi non promittam de Chriſtianiſſimi Regis filiis, inprimis natu maximo, LVDOVICO XIII. Delphinatus principe, & Regni hærede, octo nunc annos nato, qui à Societatis IESV patribus, S. Ludouici Galliarum Regis præceptis, & regulis, ad ſanctam & Catholicam eius vitam, fideliſſimè inſtruitur, & ex vberibus maternis pietatem, & fidem Catholicam cum lacte imbibit.

Taceo hîc patris HENRICI Regis Chriſtianiſſimi pietatem, & affectum erga Societatem IESV, cui nunc paſſim ædificia exſtruit, Academias erigit, ſuamq; Regiam domum (à la fleſche) Flexiam, prope Salmurium, Hæreticorum nidum, dono dedit, & Academi-

micis priuilegiis dotauit. Rupellæ verò, vnici Hugonottarum asyli, & contra Catholicos munitissimæ Rupis, ciuitatis maritimæ, Hæreticis plenæ, ante biennium dictis patribus concionandi potestatem fecit.

Ac vltimo loco his adiici posset eorum Catalogus, qui breui temporis spacio ex Hugonottis, eorumque ministris, vel prædicantibus, ad Ecclesiam reuersi, & conuersi sunt, nisi nimiùm foret prolixus. Auenione vbi S. officii, vel Inquisitionis domus est, intellexi circa trecentos & plures quotannis sponte suâ ad Matris Ecclesiæ gremium redire. Deus omnibus errãtibus hanc inspiret gratiam, propter nominis sui gloriam, Ecclesiæ ædificationem, ac errantium perpetuam salutem.

CAP. XI.
De secta Caluinistica statu in magna Britannia.

QVod Caluinianæ sectæ in Angliâ statum attinet, ille ita compara-

tus eſt, vt vel admodum longo tempore durare poſſit, vel etiam ſubitò & repente mutari, propter Catholicũ ibidẽ in perpetuâ Epiſcoporum ſuorũ ſerie, legitimâq; paſtorũ ſucceſſione, ab Eccleſia acceptâ, ordinem, ob cuius honorem Anglos Caluiniſtas mitiore vocabulo, non hæreticos, vt qui absque omni ordine, & legibus, inſtar planetarum, errant, & vagantur, vel inſtar locuſtarum, quæ ſine capite ſunt, & Rege, & modò huc, modò iſthuc ſaltũ faciũt: Germanicè Schwermer vnd Rotten-geiſter, ſed ſchismaticos appellare ſolemus. Qui quantum in doctrinâ etiam, & cæremoniis, à cæteris Caluiniſtarum indiuiduis vagis diſtent, ſuo loco, ſuprà tetigimus.

Sereniſſimus Magnæ Britanniæ Rex IACOBVS hoc nomine primus, in regiâ ſui inauguratione, publicâ ad ſubditos ſuos oratione, in quâ valde conqueritur de Puritanorum importunitate, & quam ſibi exhibent, moleſtiâ, libenti animo profeſſus eſt: Romanã Eccleſiã Matrem eſſe, & ſemper fuiſſe omni-

omnium Eccleſiarum, ſed, vt à præceptoribus ſuis edoctus eſt, illam nunc tanquam vetulam rugas contraxiſſe, & inſtar delirantis anus errare: ideoq́; in regni ſui Eccleſiâ, meritò reformationem aliq̃, in priori ordinis Eccleſiaſtici ſtatu, graui cōſilio inſtituiſſe, & inſtitutā deinceps defendere & propagare. Duos in hanc rē pernicioſos edidit diuerſis temporibus libros Guilhelmus Perkinſius Anglus, alterum, cui titulum fecit Catholicum reformatum: alterum quo demonſtrare nititur innouata Eccleſiæ Romanæ modernæ dogmata, primitiuæ incognita: ſed vtrumq́; putidum, falsū, & fictitiū.

Quæ vana perſuaſio ſi Regis animo eximi poſſet, Principis non modò eruditiſſimi, ſed etiam pacis ſtudioſiſſimi, ſummā omnibus Catholicis de tanto Rege, tamq́; literato, ſpem facerem, qui cum antiquis aliquot Angliæ Regibus, non ſolum ſapientiſſimis, ſed etiam in diuorum ordinem adſcriptis, ſanctiſſimis, certare, & priſcum titulum optimo iure repetere & vſurpare

poſſit:

possit: DEFENSOR FIDEI; qui titulus etiam syntaxi grammaticâ haud satis bene congruebat Fœminæ, vt meritò fatalis fuerit Regno, & in eo Ecclesiæ, ille dies, quo patriis statutis, Mulier in viros cæpit exercere imperium. Intereà bonam causam non parum promouebit mutua subditorum dissensio, quæ est inter eos, quos Puritanos vocant, & illos, qui Catholicorum ritus & cæremonias, & plæraque alia, piè & reuerenter obseruant.

Bellum Hæreticorũ pax est Ecclesiæ. Hil. l.7. de Trinit.

Scoti etiam Anglorum Ecclesiasticum ordinem, & Episcoporum, aliorumque Præpositorum prælaturam, admittere nolunt, seseque omni vi, & potius armis, quam argumentis, Anglis opponuut. Famâ accepi ex nobilissimo Domino Alexandro de Salis, iam recens ex Anglia in Rhætiam domum reuolante, (quem honoris causa nomino, tum propter familiæ splendorem, tum propter fælicem eius ex Hæresi Caluinianâ ad Catholicæ Ecclesiæ gremium conuersionem, in itinere Paderbornæ hæresi eiuratâ,

24. Iu-

24. Iulii, anno 609. ætatis suæ 40.) Andream Miluinum, primarium in Academia S. Andreana apud Scotos, Caluinianæ Theologiæ Professorem, ob Satyrica in Anglorum Episcopos edita carmina, Lōdini in carcerem & vincula coniectum.

Cæterùm quæ sit in Anglia Caluini authoritas, dicam. Anno 1608. Mense Iulio, in publicis comitiis, vt vocāt, quæ quotannis semel in florentissimi istius regni Academiis, quibus nescio an in toto terrarum orbe possint esse antiquiores, & Collegiorum numero, amplitudine, & structuræ magnificētiâ præstantiores, habentur, ac tum solennis in omnibus facultatibus promotio celebratur, quæ res ibi maximè visu digna est: Oxoniæ, Doctor Olandus, Theologus, & Promotor tū designatus, hoc de Caluino iudicium testimoniumq; ex altâ cathedrâ, in mille hominum præsentiâ, proferebat: *Caluinus vir fuit doctus, sed non scripsit in omnibus Catholicè*: item paulo post: *Caluini sententia de Deo peccati authore neque* *Cal. l. 1. inst. c. 18. §. Tergiuersando.*

neq́; defendi, neque excuſari poteſt: quia ille apertè Catholicorum nudam permiſſionē deridet : & efficacis Dei voluntatis cum peccato concurſum introducit.

itaq́; effugiunt, Dei tantum permiſſu non etiam voluntate hoc fieri.

Deinde Puritani i. ē. puri Caluiniſtæ à duab. eius regni Academiis proſcripti ſunt, Oxoniæ, & Cātabrigiæ, vt concionando veſtigium ibi p onere non auſint. Neq; ab exteris ignorari debet, Anglos q Philoſophiæ & Theologiæ aliquo graduali teſtimonio ornati ſunt, (vocantur ibi *Socii*, ſicut in Germania, Heidelbergæ, *Sapientiſtæ* veterani, vel Marpurgi *Maiores*) in collegiis honeſto præter victum tota ſua vita ali ſtipendio, ſed more Catholicorum, cælibē & monaſticam viuere in iis vitam. Si quis tamen vxorem ducere velit, illum leges collegio excedere, & quib. fruebatur commodis priuari iubent, ſicut Monaſteriorum ordo vbique poſtulat. Quoties etiam itur ad publicas lectiones, & diſputationes, non ſolum Profeſſores, ſed etiam ad gradum aliquem eruditionis promoti ſtudioſi incedunt togati, ge-

ti, geſtantes pileos Catholicorum more quadratos, & crucigeros. Ipſa verò candidatorum promotio, vel potius benedictio, non ſicut apud Caluiniſtas in Germania in Brabeuterio, vel Lectionum Auditorio, ſed in templo, cum diuini nominis inuocatione, fieri ſolet.

Sanè multa obſeruaui in Anglia, non modò Eccleſiæ Catholicæ relicta veſtigia, ſed etiam alicuius pietatis documenta, vt intereà illos taceam, qui quotidie ibidem, & foris peregrinando ad fidem Catholicam conuertuntur, quorũ, vt & cæterorum omnium, ſalutem Deo precibus noſtris ſeriò & fraternè commendare debemus.

CAP. XII.

De ſtatu ſectæ Caluiniſticæ in Germania, ſuperiore, & inferiore.

SEd quid de Germaniâ noſtrâ diuinem, quam Turcarum Tyrannus appellaſſe fertur: *Belluam multorũ capitũ?* Et in qua ſectam Caluiniſticã lento temporis progreſſu magis magisq;

non

non modo nutriri, ſed etiam augeri videmus, Lutheranis contra de die in diem, numero decreſcentibus, & in fumos abeuntibus, de quibus Caluiniſtæ iubilando triumphant. Verùm enimuerò ſicut Lutherani Caluiniſtas origine antecedunt, ita etiam priùs, & in horum conſpectu palàm euaneſcunt, vt meliorem ſibi ſortem, prædeceſſorum à quibus defecerunt, exēplo, polliceri non debeant, cum longè peiorem adhuc cauſam tueantur. Quare ſi verum eſt, quod nos veritas ipſa docuit: *Omne regnum quod contra ſe diuiſum eſt, deſolabitur*, magnam Catholici ſpem concipiant ex mutuis Caluiniſtarum noſtrorum diſſenſionibus, & rerum omnium confuſione, Babylonicam illorum Turrim, breui, auxiliante Domino, deſtructum iri. Et ſicut omnis hæreſis factà exemplorum inductione, per mille & quingentos annos, certam habuit & limitatam ætatem, vitæ principium, & finem: ita nulla eſt, quæ præſcriptos durationis terminos excedere potuit, ſed iam matu-

Matth.12.

matura, & putrefactioni vicina, ſpōte, & vitio ſuo corruit. Et cum nullus ſit inter noſtros Caluiniſtas ordo, nulla ſtatuta, & leges, nullus Magiſtratus, nulli prælati, & priores, ſed omnes, vt ipſi aiunt, pares, æquales, liberi, exiſtimandum eſt, quod ne quidem cum Lutheranis centeſimum annum ſint expleturi, etſi ſibi nunc maximè florere videantur.

Et quomodo Caluini cauſa nō periclitaretur apud illos, qui eius patrocinium, & Magiſterium nunc prorſus abiecerunt, noluntque amplius illum authorem authenticum, fideiq́; præceptorem ſequi; imò apertè prudentiores, & acutiores in Caluiniſticis Academiis profeſſores ipſum lancinare, paſſimque caſtigare non verentur: an hoc fiat inſitâ quadam contendendi libidine, an verò quod ſubodorati ſunt ipſius Euangelia, & Epiſtolas non ad amuſſim reſpondere veritati, neſcio: vtrum dicatur, per me licet. Multò magis deſperata eſt Caluini cauſa apud Piſcatorianos in Naſſouia,

& Arminianos in Hollandia, qui Cal-
uinum palam oppugnant, & sibi ni-
hil cum ipso negocij esse asserunt. Di-
uinate prudentes, quonam res ver-
gat. Certè Belgij pars illa, quæ à Ca-
tholicorum corpore resecta est, ho-
spitium est, & receptaculum omnium
profugorum, & hæreticorum propu-
gnaculum, in quo omnibus, Luthera-
nis, Caluinistis, Mennonistis, infinitis-
que Anabaptistarum sectis, Liberti-
nis, Iudæis Lusitanis, &c. summa est
data licentia, & libertas dicēdi, & do-
cēdi, interdicto solis Catholicis clam
& palam diuini cultus exercitio.

Non esset ab hoc loco alienum, de-
speratam Guilhelmi Whitakeri, suo
seculo Caluinistarū doctissimi, Can-
tabrigię Professoris, responsionem, ad
Catholicorum obiectionem, *de mutuis
Caluinistarum dissidiis*, coronidis loco
adiicere. Etenim obiectum crimen di-
luit, non negando, sed excusando, al-
latis solum istarum dissensionum cau-
sis, quarum primam dicit esse Satanæ
malitiam; secundam, Philautiam etiā

Controu. 2. de Eccl. q. 5. cap. 8.

inter

inter bonos, quę ex reliquiis carnis superest; tertiam, illorũ ignorantiam, q̄ Spiritus S. non æquali mensurâ donetur & accipiatur ab omnibus. His expositis dissensionũ causis, se suosq; rixantes excusat similibus, vt ait, contẽtionum exemplis: Petri & Pauli, Pauli & Barnabæ, Augustini & Hieronymi, Cyrilli & Theodoreti, &c. de quibus solum legitur in Traditionibus Caluinianis: in scripturis, & Patribus hac de re nihil.

Æquè desperatè respondet ad omnes, quas Bellarminus assignat Ecclesiæ, notas. *Antiquitatem* ita eludit, quia Christi Ecclesia suo & suorum Apostolorũ tempore non fuit antiqua, sed noua: cum disputatio sit inter Catholicos & Hæreticos, de Ecclesia, quæ est hoc nostro tempore, quam annos mille & ferè sexcentos antiquam esse oportet. *Successionis* perpetuæ Episcoporum argumento concedit etiam veteres Patres vsos, at, inquit, *non in pugnâ, & bello, sed post pugnam, & victoriam in triumpho*: postea videns *Ibid. cap. 3.* *Ibid. cap. 6.*

ſe nihil dixiſſe, à conceſſo ſuo reſilit, &
vt hanc etiam notam effugiat, in ſuis,
quæ contra adfert, argumentis pro-
bare conatur, etiã Hæreticis, & Schiſ-
maticis hanc notã eſſe communem,
Ibid.cap.12. non Eccleſiæ propriam. *Miracula* non
vult eſſe notam Eccleſiæ, quod etiam
Gentiles illa edidiſſe narrat: ſimiliter
Ibid.cap.13. reſpondet de *Lumine prophetico*, ſæpe
quoque Ethnicos & Pſeudoprophe-
Ibid. cap.11. tas fuiſſe verè vaticinatos. *Sanctitatem*
ab Eccleſiæ notis exterminat, quia ſo-
li Deo, non hominibus illa apparet; ac
Matth.5. ſi dictum non eſſet: *ſic luceat lux veſtra*
coram hominibus, *vt* videant *opera ve-*
ſtra bona. Pudet proſequi cætera. Do-
ctor Copennius Heidelbergæ Profeſ-
ſor, diſſimulatè eruditus, & vulgo ocu-
latior, fatetur locum illum Apocal. 1.
Gratia vobis, & pax ab eo qui eſt, qui erat,
& qui venturus eſt, & à ſeptem ſpiriti-
bus, qui in conſpectu throni eius ſunt: eſſe
nodum Gordianum ac inſolubilem.
Si enim ſancti veniunt cum Deo in
communionem diſtributionis cœle-
ſtium gratiarum, cur non etiam ora-

tionis

tionis & precum? A quo enim aliquis, boni aliquid accipit, ab illo iſtud rectè, & piè petere poteſt. Plura ex priuatis eius collegiis dicta foris eliminare poſſem. Sic etiam doctiſſimi cæcutiunt, quoties ſolis radios expugnare volunt.

Anno 1607. Pareus publicam habuit diſputationem ex priore ad Corinthios epiſtolâ, ac circa initiũ theſi 1. aſſerebat: *tollenda eſſe ex Eccleſiâ omnia* *Fortaßis*
ſchiſmaticorum nomina, Lutheri, Caluini, *ſolum ex-*
&c. Copenniuso pponẽs contẽdebat *exritij gra- tia.* omninò eſſe retinenda, propter ſui à Lutheranis diſtinctionem, ne ſi communi appellentur nomine, populus in errorem inducatur. Reſpondit Pareus: omninò diſtinctionis gratiâ, nomina certa adhibenda, ſed non ſchiſmatica: ac proinde ſicut Lutherani ſeſe in poſſeſſionem intruſerunt nominis *Euangelici*, ſimiliter nobis faciendum. Sed tamẽ hactenus nullum ſatis commodũ inuenire potuerunt. Nam nomen illud *Apoſtolici* alij olim Hæretici ſibi vſurparunt, de quibus

August.lib.de Hæres. cap. 40. Author ego illis essem, vt sicut Lutherani, qui prius apparuerunt, se vocitant ab Euangeliis Euangelicos, ita Caluinistæ qui illis posteriores sunt, se nominent ab Epistolis Epistolicos; quemadmodum etiam in codice Biblico Euangelia sequuntur Epistolæ.

Intereà obseruetur quod Caluum *Caluini* nomen omnibus sordescat, ac plerisq; etiam calua eius doctrina nõ amplius ex voto placeat: sed Caluinistarum quisq; sicut Ecclesiam Romanam hactenus, ita nunc Caluinismum ipsum polire & reformare annitãtur. In summa vt rem totam concludam, vnico dicam verbo quod hactenus volui: DESPERATA EST CALVINI CAVSA, quæ in posterum etiam in sui Imperij cameris, & Academicis Parlamentis inter suos assessores, & assedas nullũ inuenit Procuratorem, vel Aduocatum, qui eius patrociniũ suscipere velit. Deus intereà suã sibi seruet, & ampliet Ecclesiam, errantes in viã reducat, cæcos illuminet, impro-

bos emẽdet, fideles cõfirmet, pios ſaluet: vt omnes, & ſinguli in vnâ ſcholâ terreſtri, ab vno fidei Magiſtro edocti, ad altiorẽ pariter vniuerſi Academiã cœleſtem aſcendamus, & ex hac Eccleſiâ militante, ad triumphantem, & perpetuò iubilantem Eccleſiam, ſurſum ad Chriſtum, à ſanctis eius Angelis, euehamur.

EPILOGVS.

BReuẽ tibi, Benigne Lector, de Secta Caluiniſtica libellũ, rudi, quod aiũt, Minerua cõſcripſi, in quo ea ferè omnia cõplexus ſum, q̃ vniuersũ illius ſtatũ concernere poſſint, quæq; etiam meo iudicio oẽs & vniuerſos officij ſui commonere, Catholicos confirmare, Hæreticos conuertere, & ad Eccleſiæ Catholicę, fideliũ Matris gremiũ, meritò reuocare debeãt. Pro colophone & clauſula paucis etiã Lectori beatæ meæ cõuerſionis occaſionẽ, & cauſas, q̃ me etiã ſatis diu initio reluctantẽ diuinæ illuminationi cõpulerũt ex Caluiniſtica Synagoga ad Catholicã Eccleſiã; ex regno Satanæ, & tenebrarũ,

in regnum Christi & lucis transfuge-re, indigitabo: vt iisdem vel alios, prioris scholæ socios, errantes in viam reuocem, & ægrotantes simili pharmaco sanitati, animæq; valetudini restituam; vel denique me ab omnibus obtrectatorum calumniis, & mendaciis honestè vindicem.

Principio natus sum & educatus à teneris meis vnguiculis ad ætatem vsque maturam, qua iam Reipub. Vesaliensi meâ opellâ inseruire debebam, in Caluinianâ Hæresi. Puer scholam Patriam, quæ est Cliuo-Vesaliæ, frequentaui, & ex primis iam elementis eluctatus sub Rectore eius scholæ Iohanne Brantio, Amplissimi Senatus Vesaliensis sumptibus, & liberali salario, foras ad altiora studia, & lectiones publicas ablegor, primò Herbornam Nassouiorum, vbi annos duos cum dimidio Philosophiæ cursum absolui, & primordia Theologiæ præceptore Iohanne Piscatore, eius ibi Professore, addidici. Inde mittor Heidelbergam in Palatinatu, vbi post trimestre

ab aduentu meo ſpacium, ſummos in Philoſophiæ honores conſecutus, anno 1604. die 16. Febr. cæptũ Herbornæ in Theologia ſtudium quatuor annos, ſub eius Academiæ Profeſſorum, ac maximè Doctorum, Parei, & Copennij, auſpiciis, ductuq́;, continuaui. Hoc mihi elapſo in altioribus ſcholis circiter ſeptennio, vnicũ adhuc peregrinandi per Galliam, Angliam, Belgium, &c. annum gratiosè indulget, ſuiſque munificis impenſis permittit, ſemper omni honore, & debitâ animi ſubmiſſione colendus, dictus SENATVS VESALIENSIS.

Reuerenter itaque omnibus meis Heidelbergæ Fautoribus, Profeſſoribus, & amicis valedicens, & inprimis Doctori Pareo, qui me abiturientem ad conuiuium inuitare, & honorifico manus ſuæ ſymbolo ornare nõ eſt dedignatus, Chriſto duce, & ſanctis eius Angelis comitibus, anno 1607. menſe Iulio, Lutetiam Pariſiorum contendo, & paucis poſt mẽſibus Aureliam, vbi cum Generoſæ familiæ Nobili

MELCHIORE à Rechenberg, Si-
leſio, Domino meo ſemper hono-
rando, hyberna, ſedemque fixi. Ibi
mihi, neſciebam quo fato, à quo-
dam Studioſo Argentinenſi, Luthe-
rano, libellus Concilij Tridentini
affertur Gallico idiomate impreſſus,
quem profeſſioni, & ſtudio meo
Theologico, vt aiebat, vtilem iu-
dicet. Ego ſubridens librum inſpi-
cio, & propter ſtyli gallici elegan-
tiam accepto: interim doctrinæ te-
xtu, ſeſſionibus, Canonibus, om-
nibuſque articulis præteritis, ſolas
lego præfationes, Legatorum oratio-
nes, Patrumque congregatorum
precationes, ſingulis ſeſſionibus præ-
miſſas; quibus deuotè à me lectis,
& recitatis ita perturbor, animo-
que conſternor, vt non ſolum inex-
plicabilis per multos dies Melan-
cholia me prorſus ad omnia præpe-
ditum teneat, ſed etiam mihi no-
ctu ſomnus & interdiu comedendi
appetitus faceſſat. Etenim diligen-
ter mecum preces illas animo reuol-

uenti,

uenti, ex concessis nostræ Theologiæ principiis occurrunt: *primò* quod Caluinus fidei nostræ Magister, Ecclesiæque Reformator gratis agnoscat: Ecclesiam Romanam olim, antequam à doctrinæ suæ puritate defecisset, veram Dei Ecclesiam, imò cæterarum omnium particularium Matrem fuisse. *Secundò*, quod idem Caluinus eandem adhuc in Ecclesia Romana quæ hodie est, pastorum, Episcoporumque, si non in doctrinâ, tamen in officio successionem, ab antiquis temporibus deriuatam fateatur, legitimamque pascendi gregis, modo orthodoxè docere velit, obtinere potestatem. *Tertiò*, Reuoco mihi in memoriam DEI promissiones, precibus communiter factas: *Inuoca me in die, &c. & te eruam.* Psal. 49. *Petite, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis; pulsate, & aperietur vobis: Si vos cum sitis mali nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis Pater vester*

Lib.4. Inst. c.7.§.24.

Hac successione maximè gloriantur Angli: & VVhitakerus hac ratione probat Lutherũ fuisse ordinarium Pastorem ac legitimum, quod in Ecclesia Romana sit ordinatus. Cont.2.de Eccles.q.5. cap.6.

vester qui in cœlis est, dabit bona petentibus se, Matth. 7. *Quartò* meditor promissiones peculiariter Ecclesiæ, & sanctis congregationibus factas: *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi*, Matth. 28. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis*; quæ verba non de solis Apostolis, sed etiam omnibus ipsorũ successoribus intelligenda concludit ista æternitas, & mansionis ad consummationem seculi perpetuitas. *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ero in medio ipsorum*, Matth. 18. Et summatim: *Super petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferni non præualebunt aduersus eam*, Matth. 16.

Iam quod si tempore Imperatoris Phocæ, vel secundum alios citiùs, aut tardius, tot seculis Romana, Ecclesiarum Mater, desiisset esse Ecclesia, prę-ter quã in vniuerso orbe non fuit alia, propter doctrinæ consanguinitatem, certè aliquando portæ Inferorũ contra vniuersam Ecclesiam * præualuissent:

* *quod expressè ait Calu. lib. 4. inst. c. 1. §. 11. Diaboli arte factum est, vt pura verbi prædicatio aliquot seculis euanuerit. Et in præf. ad Gal. Regem.*

ſent: Imò nos plerique Germani ante felicem illum diem, quo ſurrexit Lutherus, nondum annis centum, Chriſtiani, & Catholici nō fuiſſemus. Execrabilis Inſania. Neq; eſt ſimilis ratio particularis alicuius dogmatis, vel ſententiæ; & ipſius Eccleſiæ veritas: Illa ad tempus, alicubi, & à quibuſdam hominibus vel ignorari & tegi poteſt, vel etiam à mendacibus ſupprimi; de qua loquuntur ſæpe patres: quod veritas tandem emergat, temporis ſit filia, quod contrà mendacia pereant & euaneſcant: Item tandem bona cauſa triumphat, & quæ ſunt id genus alia. Sed Eccleſiæ Catholicæ veritas perpetua eſt, quæ nunquam ignorari, nunquam Hæreticorum tenebris tegi vel obſcurari, multò minus illorū machinationibus & mendaciis ſupprimi, & deleri poteſt. Qua de re exſtant alia SS. Patrum teſtimonia. S. Cyprian. lib. de Vnit. Eccl. *Eccleſia*, inquit, *Domini luce perfuſa, radios ſuos per orbem terrarum ſpargit.* S. Chryſ. hom. 4. in c. 6. Eſa. *Facilius eſt*, inquit, *ſolem*

solem extingui, quam Ecclesiam obscurari. S. Augustinus lib. 3. cont. epistol. Parmeniani cap. 3. *Ecclesia quæ supra montem, vt dictum est, constituta, abscondi non potest.* Et Tract. 1. in epistola Iohan. *Nunquid digito ostendimus Ecclesiam, fratres mei? nonne aperta est?* Et Tract. 2. *Quid amplius dicturus sum, quam cæcos qui tam magnum montem non vident? qui contra lucernam, in candelabro positam oculos claudunt.*

Caluinus ipse in Ecclesia Christi hasce duas notas agnoscit; *visibilitatem, & perpetuitatem*; sed hanc ita accipit, quasi Deus semper ex vnius ruinâ, & corruptione generet, ædificetque sibi aliam, atque aliam, quam ad tempus conseruet, iterumque illi propter ingratitudinem, populique peccata, lucem nuper accensam subtrahat, deque vno populo ad alium, perpetuâ qnadam vicissitudine transcursitet; atque adeò instar lunæ, modò plena & illustris appareat, modò obscura sit, & prorsus inuisibilis. Hæc sunt deliria & phantasiæ hominum

Lib. 4. Inst. c. 2. § 3.

fana-

fanaticorum, qui *vertiginis ſpiritu* agi- *Eſa.19.*
tantur. Scio Sanctos Patres Eccleſiam
aliquando Lunæ comparaſſe, quod
in particularibus aggregatis cœtibus
aliis atque aliis temporibus creſce-
re & decreſcere, aliis atque aliis lo-
cis modò minui, modò augeri viſa
ſit, ſed nunquam eò ſimilitudinem
deduxiſſe, vt oſtenderent Eccleſiam
Catholicam inſtar nouilunij, ad tem-
pus breue vel longum, eſſe abſcondi-
tam, & inuiſibilem. *Simile etiam eſt
diſſimile, Et ſimile non currit quatuor pe-
dibus*, in ſcholis Philoſophi loquun-
tur. Sapiens etiam ſtultum comparat
cum luna.

Quintò, Etſi infallibilis eſt Dei pro-
miſſionum veritas, tamen quia ex-
emplis, & experientiâ conſtat pre-
cantes non ſemper exaudiri, cum vel
terrena petunt, vel non neceſſaria,
vel ſtatui, & vocationi non accom-
moda, propiùs accedebam ad Pre-
cationum Sancti Concilij medita-
tionem, inque illis hæc obſerua-
bam ſingula: primò, quod vnanimi
omnes

omnes ore, & ſpiritu, votiſque Deum orarent veritatem cœleſtem, non aliquod bonum terrenum, corporis, vel fortunæ, ſecundò rem pro ratione turbulenti temporis maximè neceſſariam, tertiò ad ſtatum ſuum, gregisq; paſcendi munus, vnicè pertinentem: idq; ad diuini nominis gloriam, Chriſtianæ Eccleſiæ pacem, & ædificationẽ, & deniq; omniũ turbarum, ſchiſmatum, hæreſiumq; extirpationem.

Quos poſuit Spiritus S. Epiſcopos regere Eccleſiã Dei, Actor. 20.

Sextò perſpiciebam ſummam in tot patribus, ex præcipuis orbis terrarum plagis; Italia, Germania, Gallia, Hiſpania, Polonia, Hungaria, Bohemia, Græcia, &c. nationum diuerſiſſimarum, collectis, vniuerſæ doctrinæ concordiam, & conſenſum: & occurrebat noſtrorũ in omnibus fere dogmatis diſſenſio, & perpetua inter ipſos contendendi libido.

Septimò aliquam faciebam collationem congregatorum Patrum: Priorum, Abbatum, Epiſcoporum, Archiepiſcoporum, Patriarcharum, Cardinalium; authoritate, officio;

officio, & ætate venerandorum, cum noſtri ordinis Doctoribus, tribus, vel quatuor homunculis, inter ſe litigioſis, qui tanto Concilio, vniuerſæq; in orbe Chriſtiano Eccleſiæ, ita petulanter obſtrepant: cum tamen ipſi inter ſe partes ſuas componere, & controuerſias tollere nec poſſint, nec velint.

His bene ruminatis, atq; expenſis, animi dubius ac perplexus quaſi in biuio hærebam, ac tãtus me angebat pauor, viſo manifeſti in noſtris erroris periculo, vt totus mundus, immẽſa illa machina, anguſti mihi occurreret inſtar anguli, in quo neq; lux, neq; tenebrę; neq; regreſſus, neq; egreſſus apparebat; in quo neq; ſolus, neque cum aliis; neq; Caluinianæ doctrinæ prorſus valedicere, neque Catholicæ adſtipulari paratus; illam approbare diuti⁹ non poteram, hãc tamen deinceps ſequi nondum volebam. His cõſtrictus anguſtiis, dubiiſq;, oro per multos dies, nõctesque, cum lachrymis, Diuinã Miſericordiam, vt hos animo ſcrupulos eximat, meq; inter Scyllam & Cha-

rybdim miserè fluctuantem, deque ipsius animæ, non aliorum bonorum, iacturâ periclitantem, leni Spiritus S. aurâ deducat in portum veritatis, in quo deinceps perpetua ipsi Epinicia, & gratiarum laudes decantem, Quid fit? quò frequentiùs, ardentiùsque oro, ipsamque veritatem inuestigo, eò magis confundor, & titubo. Nam & apud nostros videbam rerum omnium nouitatem, confusionem, ἀναρχίαν, in doctrina dissensionem, in cultu, & ritibus monstrosam varietatem, & denique effrenem agendi & peccandi licentiam. Et contrà apud Pontificios summam omnium in omnibus doctrinæ partibus concordiam, pulchram quandam rerum omnium harmoniam, ordinem, antiquitatem, miracula, quæ passim coram oculis nostris Deus adhuc hodie in Ecclesiâ operatur, legitimam Pastorum & Episcoporum ordinationem, & successionem, ab Apostolorum fundatione, ad nostra vsque tempora, sine vllâ interruptione, continuatam.

Ab hisce notis in ipsam doctrinam, quasi immensum pelagus, dilabor, in quo magnus auditur contentionum strepitus, & conuiciorum fluctus, adeò vt illud vix tutò, aut breui, enauigare desperem. Compendij gratiâ, resectis vtrobique polemicis argumentis, Doctrinæ nucleum inspicio, an ex illo medium erui possit veritatem inuestigandi, & omnes lites sopiendi. Video Caluinum, omnesque illius asseclas cum Catholicis conuenire in hanc sententiam: Ecclesiam Romanam primitiuam, primis nempe quingentis post Christum annis, fuisse veram, Catholicam, & Apostolicam Christi Ecclesiam, cæterarumq; omnium particularium, tanquam filiarum, Matrem. Inquiro itaque in illos Catholicos Patres, quos ex antiquis historiis proximè à Christo seculis quingentis in Ecclesia floruisse constat, meisque oculis video omnes illos sanctos Patres, Episcopos, & Martyres, eam non solum literis tradidisse

Sic Caluinus passim, & omnes Caluinistæ, vt suo loco demonstrabimus.

doctrinam quam hodie, ante, & retrò seculis mille & sexcentis omnes vbiq; Catholici, & eadem Ecclesia professa est; sed etiam nos, & nostros errores, in suorum temporum Hæreticis, palã oppugnasse, & damnasse: simulque prophetico spiritu de Ecclesia Romana vaticinatos, illam in æternum neq; à puritate doctrinæ deficere, neq; in errores descendere posse. Hoc examẽ triui (non omnibus omninò patribus, aut integris ipsorũ voluminibus, quib. tota hominis vita non sufficeret, sed nostrorum cum Catholicis sententiis maximè controuersis, perlectis) nouẽ integris mensibus, antequam Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, abiuratâ Hæresi, nomen meum profiteri volui. Quod factum est Auenione, pridie S. Martini, anno 1608. ac postridie, ab Archiepiscopo eius loci Iohanne Francisco Gordino, Confirmationis Sacramento initiatus fui, mutato in *Petri*, Samuelis nomine.

Animum meum deinceps hoc maximè tranquillauit, quod veram nunc scru-

ſcrutatus eſſem cauſam, cur noſtri ita ſcabioſè de SS. patribus loquantur, ita contumelioſè illos reſpuant, & ab omni diſputatione remoueant, errorũ, & ignorantiæ accuſent, quos tamen veræ & incorruptæ fidei Magiſtros aliâs agnoſcunt. Vltimo loco comparabam inter ſe vtriusq; doctrinæ fructus, an Eccleſiæ Pontificiæ par, vel maior eſſet ſanctitas, pietas, reuerentia, honeſtas, quam ipſius Reformatæ, vt vocant. Vidi in Galliis Caluiniſtarum ſummam in cultu Dei prophanitatẽ, & irreuerentiam, ex tabernis, & cauponariis popinis, pingui ſumpto priùs ientaculo, in ædem ſacram, ſine ordine, vno præeunte, & ſubſequente altero, in ingreſſu, & egreſſu, ſine hora, alios maturius, alios tardius, cum tamen pauci ſint numero, ad concionẽ confluere, inter orandum alios ſedere, alios ſtare, quosdam ex æmulatione Catholicorum aggeniculari, alios capitibus apertis, alios, ſi paulò intenſius frigus eſt, opertis, ad tam curtas preces. In canendo modo fœminam,

modo virum, vel tonſorem, vel ſutorẽ intonare, & quãdoq; ita demiſsè, quãdoq; ita altè, vt de nouo repetendus ſit cãtionis totus. De illorum impietate, & vitâ diſſolutâ nihil attinet dicere, & in his exempla odioſa ſunt.

De Germanis malo alterius potius quam meis loqui verbis, & quidẽ viri ſummâ apud Nouatores authoritate præditi, ERASMI, qui & res eorum optimè nouerat, & ab eorum doctrinâ non omninò abhorrere viſus eſt. Is in epiſtola ad *Vulturium*, quam ſcripſit anno 1529. *Circumſpice*, inquit, *populum iſtum Euangelicum, & obſerua num minùs illic indulgeatur luxui, libidini, & pecuniæ, quam faciunt ii quos deteſtamini. Profer mihi quem iſtud Euangelium ex comeſſatore ſobrium, ex feroci manſuetum, ex rapaci liberalem; ex maledico benedicum, ex impudico reddidit verecundum. Ego tibi multos oſtendam, qui facti ſunt ſe ipſis deteriores.* Quod ſi Eraſmus teſtatur de Reformatis, qui ſub initio promulgati noui Euangelii vixêre, quando recentes ſcopæ omniũ optimè verrere

rere, & purgare dicuntur, quale ferret teſtimonium de Euangelicis modernis, ſcopis iam diſſolutis, & prorſus attritis, ſi Eraſmo conſcribenda eſſet epiſtola, anno 1609?

Iam factâ collatione ipſorum Miniſtrorum inter ſe, vt vulgus mittamus, Reformatorum cum Sacerdotib. Catholicis, certè ocularis eſt vtrorumq; differentia.

Multa garriunt Prædicantes Caluiniani de precum virtute & neceſſitate, quibus tamen rariſſimè vacant, vt illorum nullus ſit, quod ſciã, qui quotidiè illis horas duas, imò vel vnicam integram deſtinet, cum tamen Catholici ipſis tempus ſatis prolixum, horis matutinis, & veſpertinis, omni die impendant. Ieiunia nulla Caluiniani obſeruant, neq; in cibi qualitate, neq; quantitate, non loquor de inediâ, ſed de ſolâ lautitiarum abſtinẽtiâ; cum tamen in templis ſuis admodum religiosè ieiunia commẽdent: Et præſertim illi, qui incolunt Germaniam inferiorẽ (vbi mihi optimè noti ſunt) *Eſt virtus placitis abſtinuiſſe bonis.*

vel singulis, vel alternis diebus, foris epulantur, & conuiuantur. Fateor populi morem esse, Prædicantes indesinenter ad conuiuia vrgere, quia illa omnium maximè isti exhilarare & recreare possunt. Cōtinentiæ ex multis millibus vnus deditus non est, qui cælibem & castam vitam degere velit: sponsionem audeo facere cum illis, quod ne vnicum prædicantem, percurrant omnia sua regna, & principatus, edere possint ex illorum ordine, & medio, qui cælebs vitam clauserit, nisi immaturâ morte, in ætàtis flore, senectuti præreptus. Imò etiam iam senes omninò decrepiti & exhausti iuuencas ducunt, & succi plenas, cum quibus ad vltimum vitæ spiritum libidinentur. Alii etiam qui steriles sunt, & naturâ prorsus ad matrimonium inepti, tamen vxoribus duabus, sine cōiugali fructu iā pertritis & sepultis, tertiam, & quartam, ætate prouectiore cani, & incontinentiâ debiles superducunt. Noui etiam inter Prædicantes, qui quadragesimum ætatis annū

Turpe senex miles, turpe senilis amor.

in

in vita cælibe compleuerant, ſtatum coniugalem ſalſis ſæpe verbis deridẽtes, quòd in eo illis quas deperirent, potiri non poſſent, & iam imminente quinquageſimo, raptâ potiùs quam ductâ vxore, ob contractus celeritatẽ, prorſus inſtar vegetorum iuuenum prurire, & laſciuire, præter naturæ, vel ætatis conſuetudinem, incipiebant. Mallem equidem in his eſſe mutus, quàm ingrata & iniucunda aliorum auribus inſuſurrare.

Hæc & aliâ me mouerunt, & permouerunt deſerere priora caſtra, & repetere antiquam Dei ciuitatem, Eccleſiam priſtinam, quæ à fundationis ſuæ momento, omnibus fuit temporibus, & præter quam nulla fuit vſpiam, vel vnquam; in qua omnes Sancti, Martyres, & Virgines, noſtriq; omnes maiores, & parentes, aui, abaui, ataui tritaui; omnesque cuiuscunque ordinis, ſtatus, & conditionis, prædeceſſores, nobiles, ignobiles, Principes, ſubditi piè vixerunt, & beatè in Chriſto obdormiuerunt; quibus nunc ſit

 pax

pax, requies, gaudium, gloria, & omnis cœleſtis Paradiſi beatitudo.

Nunc mihi breuiter abſtergẽdæ ſunt calumniæ, & obtrectationes, quib. me nonnulli procacioris oris ſuâ effreni linguâ, ſiue clam, ſiue palam, traducunt; & tanquam à vera Eccleſia Apoſtatam, & erga omnes meos Patronos & Mæcenates hactenus nutricios ingratum, impoſtorem, aliorumque bonorum adoleſcẽtum, vel iuuenum ſeductorem ſugillant; neque enim alia habent, quæ in me iaculentur impietatis crimina. Primò etenim per Dei gratiam nullam vel ingratitudinis extra hunc meæ conuerſionis caſum, vel petulantiæ, vitæque diſſolutæ poſſunt mihi inurere maculam, nullum prorſus affricare delictum enorme, qui cũ honorificentiſſimo ab omnibus illis locis in quibus vixi, teſtimonio diſceſſi, præceptores meos ſemper ſummo honore, & beneuolentiâ proſecutus ſum, & meis quaſi oculis tuli. Mæcenates verò & Patronos Veſalienſes

tan-

tantis ſemper extuli laudibus, & tam impenſo debitæ ſubiectionis affectu colui, vt nemo citra adulationis notam magis poſſet, quod Ampliſſimus Senatus ipſe non ignorat, quem adhuc diſcedens Doctori Pareo de meliore notâ ob fidei ſuæ conſtantiam, & integritatem, commendaui, illumq; rogaui, vt præſtantiſſimum quem ad manus, operum ſuorum theſaurum haberet, commentarium in epiſtolam ad Romanos, Senatus Veſalienſis Amplitudini dedicaret: ſicut eius rei mihi teſtes eſſe poſſunt duo nobiles iuuenes-viri, & omnibus virtutibus compti IOHANNES BREMGEN, Reipub. noſtræ quondam primarii conſulis, & RICHARDVS A RASFELDT eiusdem Reipub. Secretarii meritiſſimi, Filii.

Nec etiam vlla me melioris conditionis ſpes à priſtino ſtatu auertere potuit, cum honeſta & liberalis ſemper apud Veſalienſes mihi parata

fuiſ-

fuiſſet, quibus etiamnum vt obſtri-
ctus ſum atque deuinctus, ita tenuem
meam opellam in fide Catholicâ pro-
mouendâ offero, conſecroque. Quis
verò mihi vitio, & crimini vertat,
quod cauſis non modo grauibus, ſed
etiam ad ſalutem vſq; animæ neceſſa-
riis, diuinâ aſpirante gratiâ, ſenſim &
deliberato conſilio, ob ſolius VERI-
TATIS amorem, ſtudiumque pieta-
tis, & virtutum, à SECTA CALVINI-
STICA ad S. ECCLESIAM CATHO-
LICAM, eâdem comitante gratiâ con-
ceſſi, inprimis cum tot illuſtria viro-
rum ſanctiſſimorum veſtigia in eodem
lutho, & erroneis diuerticulis, ad illã
tritam & regiam viam, ſecutus ſim.
Nam & in eadem tempora, & ſimiles
inciderunt caſus ſancti aliquot Eccle-
ſiæ Patres: *Auguſtinus*, qui in Mani-
chæorum ſectâ natus eſt, & educatus;
verùm errore intellecto ad Rom. Ec-
cleſiam ſeſe conuertit, & magnum e-
ius decus, & lumen, factus eſt: *S. Am-
broſius*, qui Auguſtinum conuertit, fuit
vel Valentinianus, teſte Euſebio, vel
Marcio-

Marcionita, authore Hieronymo. *Eusebius Cæsariensis* Arianus fuit: *Busyrides* fuit Encratita: *Vincentius, & Agapetus*, Macedoniani: *Cyprianus*, etsi Catholicus, cũ Donatistis sensit de rebaptizandis Hæreticis, quem errorem monente, & iubente STEPHANO, Romano Pontifice, vltrò deposuit: Qui omnes & singuli postea obedientissimi Ecclesiæ Catholicæ filii, imò Patres, & Antistites eius sanctissimi euaserunt. Errare certè humanum est, in errore perseuerare, Diabolicum, ab illo resurgere Christianum est & salutare. Quàm minus illi fuere Apostatæ, ab hæreticis sectis ad Catholicam Ecclesiam transmigrantes, non magis & ego sum illorum vestigiis, tum in hoc facto, tum in ipsorum doctrinâ, insistens, odioso illo nomine traducẽdus. Valeat ergo & alterum, quo me imperiti bonorum adolescentum Seductorem criminantur, qui nullum vnquã, quamdiu adhæsi Caluinistis, etiã hominem idiotam, & laicum, licet sæpe tentauerim, seducere & peruertere potui

potui; nunc autem aliquot non adolescentes sed viros, iudicio maturos, & eruditione præstantes conuerti, & mecum ad Ecclesiam Catholicam adduxi.

Hæc sunt Beneuole Lector, quæ te in calce huius tractatuli monere volui, etiam atque etiam, Tuam æquitatem rogans, vt si quid dictum fuit, gratum, grato animo agnoscat, si quid fortè rudius, quandoquidem rei necessitas immitiora aliquando verba extorsit, benigniter ignoscat: qui Deum ter Opt. Max. ex toto precor pectore, vt eò omnia dirigat, quo meus in Caluinianos amor, & affectus, ipsorumque salutis desideria, suspirant; ad laudẽ gloriosi sui nominis, ad Ecclesię suę propagationẽ, atq; errantium Reductionẽ, perpetuamque ipsorum beatitudinem

AMEN.

LAVS DEO,

Et gloria omni operanti bonum.

Beneuole Lector,

Menda quæ irrepserunt, sic emenda:

*p. 3. lin. 10. Petrus. & lin. 18. ἀρχιποιμλεὺ p. 7. lin. vlt. pomæriis p. 11. l. 15. infert. & l. 24. supplex. p. 20. lin. 15. receptaculum p. 22. l. 9. portæ. p. 24. l. 2. similes. & l. 6. refrigescet. p. 32. l. 5. Athanasio l. 7. Macedonia*NA *p. 34. l. 16. Nouatianos. lin. 25. illas. p. 45. l. 22. Transsyluania. p. 46. l. 23. Prophetam p. 53. l. 6. Germanicæ linguæ. & l. 21. descriptam. p. 54. l. 17. sugillasse. & l. 18. quisquis. p. 60. l. 11. Caluinianæ. p. 63. lin. 5. deest lib. 4. p. 64. lin. 11. post planè deest* ad. *p. 65. l. 10. potuerit. p. 68. l. 17. principalis. p. 85. l. 17. §. 17. p. 104. l. 1. Arminio. p. 99. l. 16. dissentientium. p. 160. l. 9. Iconoclastæ.*

Reliqua minutiora sunt, commate, vel literâ aliquâ inuersâ.

Vnicum saltem in fine admonere lubet, pag. 42. in margine manuscripti extitisse *dicti Iconoclastæ*, quod lin. 11. post *Carolstadii* textui inseri debebat, at in typographia, paucis isthinc lineis, post

post *Oecolampadium* incidisse. Sed error non est error. Nam reuerà Oecolampadium cum Zuinglio, Capitone, Blaurero, &c. in Bernensium finibus aras, & Sanctorum statuas confregisse, & sustulisse narrat Sleid. lib. 6. comm. ad an. 1528. circa init. & omnes Caluinistæ sunt Iconomachi, & Iconolastæ.

Hugonottæ verò in Gallia non tantùm altaria, & Sanctorum monimenta concusserunt, sed ipsas quoque S. ædes, tecta, columnas, parietes, totum ædificium, atque structuram: Ac Aureliæ circa sexaginta diruerunt* templa, quorum ruinam viator, quisquis, & cuiuscunque religionis est, sine lachrymis intueri non potest; Hugonottarum verò furorem detestari.

* *annis ab hinc circiter viginti.*

Vale benigne Lector, & tu Caluinista resipisce.

FINIS.

ipsum iussu ē· e...
trm et principes eius
ipsum· et voces pphetar...
sabbatum leguntur iudica...
...verunt· et nullam cau...
sam mortis invenientes in eo pe...
pylato ut interficerent eum·
consummassent omnia que de eo
erant· deponentes eum de...
...erunt in monumento· De...
suscitavit eum a mortuis...
...qui visus est per dies multos
...ascenderant simul cum eo a ga...
in ierusalem qui usque nunc sunt te...
ad plebem· Et nos vo...